



Misc. 6<sup>m</sup>.

1,63

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36



27 4

QVOD DEVS BENE VERTAT!

QVALIS ET QVANTVS SIT  
DISSENSVS  
IN ARTICVLO  
DE

S. COENA

INTER  
SOCIOS AVG. CONFESSIONIS

ET  
REFORMATOS  
IN ALMA WITTENBERGENSI  
CONSENTIENTE ORDINE THEOLOGICO  
PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO

TH. DOCT. ET PROF. PVBL. CONSIST. ECCL. ASSESSORE  
PASTORE ET SVPERINTENDENTE GENERALI

ADVERSVS  
Dn. D. Christ. Matth. Pfaff:

Professoris, Cancellarii, & Præpositi Tubingensis

MACHINATIONES PSEVDO-IRENICAS

AD D. XXIII. DEC. clō Iōcc XXI.

Dispiciet

M. JOHANNES JACOBVS WELLERVS,

DRESDENSIS.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

*J. A. S. L.*



God Deas Bene Verat  
QUALIS ET QUANTVS SIT  
DISSENSVS  
IN ARTICULO  
DE  
S. COENA  
INTER  
SOCIOS AVG. CONFSSIONIS  
ET  
REFORMATOROS  
IN ALIA WITTENBERGESI  
CONSISTENTIA ORDINE THEOLOGICO  
TAXATA  
GOTTLIEB VVERNSDORFIO  
THE DOCT ET PROFVTI CONSIST POC-  
ASTORE ET SVPERIORI LACONTE GENERALI  
Dr. D. Christ. Mach. P. 16  
MACHINATIONS P. 16  
AD D. X. M. G. 16  
M. JOHANNES FACONS WILLERS  
WITTENBERGA, LIBRIS VIDVAE GERDESIAE





PERILLUSTRIS  
PRAESES  
CVRIAE SACRAE  
IN  
AVLA DRESDENSI  
PER-ILLVSTRI  
PRAESIDI  
CAETERISQVE  
CONSILIARIIS  
SPLENDIDISSIMIS.



PERILLVSTRIS  
PRAESSES  
COURTAE SACRAE  
IN  
SPLENDISSIMA  
AVLA DRESDENSI  
PER-ILLVSTRI  
PRAESIDI  
CAETERISQVE  
CONSILIARIIS

Vix splendissimis hoc  
fuiti Academici fuerit  
men tantorum Heronum vel  
con-





PERILLVSTRIS

PRÆSES  
CONSILIARII

*SPLENDIDISSIMI*

**V**ix auderem tenue hoc  
studii Academici speci-  
men tantorum Heroum vel

) 2

ocu-

oculis exponere, vel manibus  
 insinuare, nisi quid commen-  
 dationis offerenti accessurum  
 putarem a Theologo, cujus ae-  
 ternum vivet, vigebitque, me-  
 moria, JACOBVM WELLERVM  
 puto, Sacrorum olim in Aula  
 Saxonis Antistite, Viro de tota,  
 qua meliorum est partium, Ec-  
 clesia immortaliter merito. Qui  
 sicut per totum vitae spatium  
 nihil



DEDICATIO.

---

nihil prius, nihil antiquius ha-  
buit, quam ut religionem Deo,  
Principi fidem, merita Bonis  
omnibus approbaret; ita &  
salutarem de Christo doctri-  
nam non modo a professorum  
hostium, sed falsorum etiam  
fratrum, maxime Syncreti-  
starum, insultibus vindicavit.  
Hunc ipsum vero quum per  
clementiam fati etiam ex Pa-  
rente

DEDICATIO.

---

rente agnatum habeam, meo  
saltem genere, meaque perso-  
na, minime indignum putavi,  
vestigiiis tanti Theologi, im-  
pari licet gradu, successuque,  
insistere, ac in eodem dispu-  
tandi genere qualescunque in-  
genii mei Vires periclitari.  
Quas quidem studiorum A-  
cademicorum primitias uti  
**VOBIS, PRAESES**  
PER-



DEDICATIO.

**PERILLVSTRIS, &  
SACRAE CVRIAE  
CONSILIARII  
GRAVISSIMI, Pa-**  
troni aeternis obsequiis colen-  
di, demississime offero; sic,  
ut vultu gratioso, ac hilari, eas-  
dem accipiatis, ea, qua par est,  
animi submissione, & obser-  
vantia, oro, **VESTRAE-**

QVE



DEDICATIO.

QUE simul gratiae, ac favori,  
me, fortunasque meas, reveren-  
ter commendo.

VESTRORVM

PER-ILLVSTRIS

ATQVE


EXCELLENTISSIMORVM

NOMINVM

Admirator perpetuus

M. IOANNES IACOBVS WELLERVS.





## PROLOGVS.



**E**x quo Dominus, & Salvator noster, Iesus Christus, in ultima Cena, suum nobis corpus, & sanguinem, verbis sat perspicuis, & facile intelligendis, legavit, hujus quidem utriusque veram & realem in S. Cena presentiam sanctus Christianorum cœtus indubitata fide nullo non tempore agnovit. Etsi enim Veteres nonnulli panem Eucharisticum figuram, & signum Corporis Christi aliquando dixerunt; hi tamen oppido fuerunt pauci, nec quisquam etiam eorum Corpus & Sanguinem Domini in hoc sanctissimo epulo adesse dubitavit, sed potius adesse & accipi omnes crediderunt. Primus, qui hoc ipsum negavit, Seculo XI. Berengarius Turonensis fuit, qui panem & vinum, etiam post consecrationem, solummodo Sacramentum i. e. Symbolum, sive figuram, esse docuit, libroque non uno alius persuadeere tentavit. Cui vero usque adeo noluit assentiri ecclesia, ut etiam ad alterum extremum, ut fieri solet, prolapsa in asserendo presentie modo modum excederet, & panem per consecrationem transsubstantiari in Corpus Christi, & Vinum in Sanguinem, putaret. In quo etsi procul dubio peccavit, quod presentia materie celestis, citra exclusionem terrene, confirmari debuerat; hoc tamen nemini non apparet, presentiam Corporis & Sanguinis Christi veram & realem in Sacra Domini cena constanter ab Ecclesia creditam, magnique momenti estimatam fuisse. Quod quidem usque adeo verum est, ut ipsi etiam Sedanenses Reformati



mati (a) parum tamen pie, ac reverenter, scribant: Respuere sese præsentiam corporalem Christi in Eucharistia, qua Sathan NB. jam ab aliquot Seculis homines fascinarit. Interim Lutherus, cum repurgaret sacra, sedum transsubstantiationis errorem rejecit quidem, verum tamen & realem Corporis & Sanguinis Christi, in, cum, & sub pane ac vino præsentiam adversus Carlostadium, & Zwinglium, horumque socios, ad mortem usque suam fortissime defendit. Jam tum enim dissensum, inter se & Zwinglianos, in articulo de S. Cæna tam esse putavit, ut, quum Marpurgi de reliquis omnibus, quod historia illius Colloquii docet, controversis antea capitibus facile conveniret, ob hunc unum tamen de Cæna Domini dissensum, in quo verum Christi corpus, & verum Christi sanguinem, sub pane & vino adesse & accipi, Zwinglius, & socii, perimaciter negabant, dextram fraternitatis semel iterumque a Zwinglio, & Zwinglianis, oblatam accipere dubitaret. Quin & anno post, cum exhibenda esset Confessio in Comitibus, eadem de causa IV. Civitates, quæ t. i. in articulo de Cæna cum ZWINGLIO faciebant, a Societate Confessionis Augustanæ exclusæ, & peculiarem per BVCERVM scribere sunt coactæ. SVEVICI vero doctores, quorum tunc princeps erat BRENTIVS, ediro jam ante peculiari Syngrammate, quod baud ita pridem, nescio qua mente, denique editi curavit D. PEAFFIVS, LVTHERIDE Cæna Domini doctrinam masculè defenderunt, cujus etiam deinceps adeo fuerunt tenaces, ut, cum eadem, ab excessu, LVTHERI, sensim paulatimque, duce Phippo, desereretur a Misnicis, Svedi fortissime contradicerent, nec ante sibi quiescendum putarent, quam formula, initio per D. OSIANDRVM & M. BIEDENBACHIVM (b) scripta, per D. ANDREAM vero ad Saxones perlata, ab his etiam recepta, ipsique Saxoni Augusto, & reliquis ordinibus A. C. Sociis approbata,

damna-

(a) Tom. I. Theſ. p. 843. (b) Vid. Epit. H. E. Osiandri Cent. XVI. L. IV. c. 3. p. 866.



damnatis Calvinianorum erroribus, in tuto collocaretur. Denique vix ulli mortalium vis sunt vel doctrine LUTHERI tenacius inherere, vel ZWINGLIANORVM erroribus fortius contradicere, vel dissensui super hoc capite majus momentum adscribere, quam SVEVICI, Württembergicique, doctores, quorum quasi periculo veritatem doctrine de Coena Domini a dissentientibus in Saxonia vindicatam habemus. Namque & articulos Visitationis Misnicæ, qui sic vocantur, quique tum generatim, tum primo loco, in capite de Coena Domini, Calvinianis sunt oppositi, a Triumviris illis, HVNNIO, MYLIO, LYSERO, qui omnes e Svevis erant oriundi, scriptos fuisse, & adornatos, accepimus. Ceterum calor iste superiore jam Seculo, in uno & item altero Doctore, ceteroqui non incelebri, res frigescere capit. Sapiunt enim nescio quid finisri D. WOLFG. JÆGERI verba: (b) Ego profecto semper ita cum B. Præposito Stutgardienfi, D. WÖLFLINO, censeo, quod si Domini Reformati horridum illud decretum absolutum remitterent, & Doctissimum illum Angliæ Episcopum Davenantium, in materia de satisfactione & merito Christi universali, sequerentur, tum in reliquis tolerantia, nempe Ecclesiastica, non esset difficilis. Quo ipso dissensum inter nos & Reformatos, de Sacra Domini Coena, tanti non aestimat, ut per eundem, quo minus in unum eundemque cætum coalescere queamus, prohibeamur. Etsi vero hanc liberalitatem cum illa, quam alio in loco prodiit, tenacitate conciliare vix possum; tamen, ut errorum etiam exempla nunquam ibi deservunt, ubi incipiunt; ita festinatissimus ejusdem in officio Successor, D. PEAFFERTS, controversias inter nos & Reformatos, maxime in Dissertatione Irenica de influxu dogmatis Reformatorum de S. Coena in praxin fidei & pietatis quanto & quali? usque adeo

(b) In Hist. Eccl. & Polit. L. V. c. 2. T. I. p. 703.



adeo extenuavit, ut nihil omnino litis inter utramque dissentientium partem restare, sed potius in mutuos amplexus, & mutua oscula ruendum esse, putaret. Quod ipsum vero cum & auctoritati S. literarum, & Lutheri, omniumque Majorum, praxi adversum, & præterea cum præsentissimo nostratis ecclesie, ipsiusque adeo veritatis, periculo conjunctum sit; inter est nostra, ut, qualis & quantus sit inter nos & Reformatos super Cœna Domini dissensus, modeste quidem, veruntamen accurate ac solide, ostendamus. Unum hoc mihi a Lectore benevolo, antequam ad rem ipsam aggrediar, exoro, ne, si quid forte in ordine ac collocatione rerum & argumentorum desiderandum esse videatur, mihi hoc imputandum esse, existimet. Persequutus enim adversarium per vestigia, non qua iri debuerat, sed qua isum ab illo fuerat, eundem mihi esse existimavi.

Thef. I.

**P**er Fundamentum Fidei simplicissime intelligitur Medium, quo vel accenditur, vel conservatur fides, seu de cetero immediate id fiat per doctrinam, seu per præam divinitus institutam, & in doctrina fundatam.

S. I. **D**isquisituro mihi deinceps, qualis & quantus sit dissensus inter nos & Reformatos in Articulo de S. Cœna, relictis omnibus ostendendum est, quid fundamenti fidei nomine sit intelligendum. Ab hoc enim dextram hujus argumenti tractationem magnam sui partem penderè, diffiteri poterit nemo.

S. II. Est igitur modus loquendi Sacris in literis manifeste-



nifesto fundatus. Negat enim Apostolus, aliud se jacere posse fundamentum, præter id, quod sit positum, nempe Christum JESUM *1. Corinth. III, 5.* De Ephesius vero scribit, quod *superstructi sint super fundamentum Prophetarum & Apostolorum angulari lapide JESU CHRISTO. Eph. II, 20.* Denique ad *Ebr. VI, 1.* negat, se velle iterum fundamenta jacere, h. e. ejusmodi doctrinas & capita inculcare, quæ ad concipiendam fidem sint cognitu necessaria.

§. III. Facile autem apparet, locutionem esse tropicam & impropriam, adeoque ab architectis petitam. Hi enim tunc fundamentum jacere dicuntur, quando ex omni materia, id quod primum & solidissimum, & maxime necessarium est, in ædificando ponunt, cui deinceps reliquam structuræ molem, quantacunque fuerit, superaddunt. Quicquid igitur in doctrina Christiana in primis tradendum est, maximeque solidum esse oportet, quicquid item in Scriptura ut maxime necessarium commendatur, e quo denique fides nostra, vel ut concipienda, vel ut confirmanda, resultat, id vero ad fundamentum fidei & salutis, rectissime revocatur. Saltem ipse D. PFAFFIUS (a) Fundamentum fidei, per *præcipua, & primaria fidei capita*, exponit.

§. IV. Etsi vero fundamentum fidei, juxta loca modo allegata, *1. Cor. III, 5. Eph. II, 20. Ebr. VI, 1.* aliud est Reale, seu substantiale, h. e. illa essentia, in qua omnis nostra fiducia recumbit, tota nempe S. S. Trinitas, imprimisque Christus; aliud *Dogmaticum*, seu complexus illorum articulorum fidei, qui & ad salutem sunt cognitu necessarii, & fidem ipsam immediate producant, aliud denique *Organicum*, quod mediis ex parte Dei, Verbo, & Sacramentis, absolvitur; semper tamen illud relinquitur, fundamentum habere instar medii, quod fidei vel concipiendæ vultu

(a) *In disp. th. i. in not. p. 8. in fine.*



endæ inferviat. Nam & doctrina illa, quæ immediate fiduciam causatur, quæque vulgo fundamenti *dogmatici* venire solet nomine, hoc ipso quod fiduciam, fidei nervum & partem nobiliorem, causatur, pro medio concipiendæ fidei merito habetur.

§. V. Sed nec *Praxis* divinitus instituta, & in doctrina fundata, a fundamento excludi potest. Supra quippe docuimus fundamenti nomine in Scripturis venire quicquid instuat in fidem, hujusque respectu se habeat instar medii, per quod illa vel ingeneretur, vel conservetur. Cum igitur inter omnes constet, fidem & salutem, non modo per certa doctrinæ capita, sed etiam per actionem divinitus institutam, accendi & retineri, sponte sequitur, & doctrinam & praxin divinitus institutam ad fidei fundamentum spectare. Bene THEOD. THVMMIUS (b) *Articuli*, inquit, *de S. Cæna & Baptismo respiciunt causam instrumentalem offerentem, quam quia vel omnino rejiciunt, vel non legitimo tractant modo, Photiniani, certe in salutis causa errant.* Sacramenta igitur, saltem qua praxin, ad fundamentum fidei pertinent, utut doctrina de iis, quæ praxin dirigit, non sit excludenda.

§. VI. Hic vero monet D. PFAFFIVS, non eandem esse nostratum Theologorum sententiam. Alios enim doctrinam de Sacramentis ad fundamentum fidei referre, utpote B. MEISNERVM, CALOVIVM, alios, quoties nempe ii adversus Socinianos pugnant: Alios invicem a fundamento fidei simpliciter excludere, utpote HVNIVM, JO. MEISNERVM, & omnes, qui Reformatis se opposuerint. (c) Quos tamen iudicio nostro non infeliciter conciliat, observando, (d) fundamentum fidei vel esse doctrinam, quæ fiduciam in Christum causatur & conservet, vel medi-

(b) *Imp. Photin. p. 121.* (c) *Disp. th. l. p. 3. sq.* (d) *l. c. p. 9. 10.*



*medium*, quo fides accendatur & conservetur. Si prius, doctrinam de Sacramentis juxta eos non esse fundamentalem: si posterius, esse fundamentalem. Quo ipso conceptis verbis largitur, nostrates, siquidem per fundamentum intelligatur *medium fidei vel concipiendae, vel retinendae*, praxin saltem Sacramentorum pro fundamentali ad unum omnes habere. Jam cum docuerimus supra, fundamentum fidei hoc in argumento nos habere pro medio fidei, per se consequitur, a recepta Theologorum opinione recedere nos non posse.

§. VII. Etsi vero hæc præcipue intelligi *de Sacramentis* debent qua *praxin*, doctrina tamen de illis non debet simpliciter excludi. *Dirigit enim praxin*, & prout illa vel bene, vel male se habuerit, praxis etiam juxta eandem vel bene, vel male, instituitur. Itaque si quis Sabellianus olim, vel hodie Arianus, infanti cuidam vel maxime aquam, in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti affundat, propterea tamen verum ei baptismum contulisse putandum non est, quod Sabellianus, cum toto suo cœtu, per Patrem, Filium & Sp. Sanctum, non totidem in Deo personas, sed unius ejusdemque Dei distincta solum nomina; Arianus vero tres distinctas, ac inter se diversas, essentias intellexit. Et in Sacra Cœna quisquis verbis institutionis morose contradicit, & veram realemque Corporis & Sanguinis Jesu Christi præsentiam præfractæ negat, nec ullo modo Christum adesse statuit, ille, ipsius *Bezæ* judicio, (e) *Domini Cœnam sic evacuat*, ut præter panem & vinum nihil relinquatur. Itaque cum olim ZWINGLIUS inciperet docere: *Verbis institutionis tropum inesse*, quidam querebantur, NB. CHRISTVM SIBI ERIP I, & Sacramentorum dignitatem everti, ut LAVATERVS testatur. (f) Quo ipso uti Sacramentorum praxin magnam sui partem a doctrina

B

pen-

(e) Vid. Epist. V. p. 44. (f) In Hist. Sacr. p. 2. b.



pendere liquet: sic facile apparet, ne hanc quidem simpliciter a fidei fundamento excludi posse.

§. VIII. Primo enim 1.) Scriptura διδαχὴν τῶν βαπτισμῶν, seu doctrinam de Baptismo, πρὸς τὸ θεμέλιον, vel τὰ σοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῆς Θεᾶς, conceptis verbis refert, adeoque ista inter capita numerat, ad quæ cetera, quæ perfectionis, seu τελειότητος, causa tradenda erant, revocabantur, quibusque, ceu fundamento, superstructa erant, quorum etiam notitiam habere omnes, qui accedere cuperent ad Deum, i. e. salvi fieri, debebant. (g)

2.) Illud inter omnes constat, quod nec *gratia Dei*, nec *organa*, quibus hæc applicatur, a fundamento salutis sint excludenda. Organa vero illa ex parte Dei sunt *Verbum & Sacramenta*, quæ gratiam Dei per Christum omnibus hominibus partam non solum offerunt, sed conferunt etiam & obignant. Quod ipsum D. PFAFFIVS, & REFORMATI, de Sacramentis adeo non negant, ut etiam injuriam sibi fieri putent, si accusentur a nobis, quod eadem pro inanibus, & vacuis signis, non autem vere *exhibitivis*, habeant. Jam porro intuitu nostri medium recuperandæ gratiæ ac salutis unicum est *fides*, Jo. III, 16. Matth. LX, 22. Marc. XVI, 16. Ebr. XI, 6. Ad quam nunc conferendam, nunc conservandam, cum Sacramenta, fatente D. PFAFFIO, denuo concurrant, facile patet, doctrinam de his ad fundamentum fidei pertinere. Necessario enim cognoscenda sunt media, quibus Deus spirituales effectus in cordibus hominum vult operari, minimum ita, ne quis neget, vel impugnet, quia, qui hoc facit, *proximas salutis causas*, eisdemque *organicas*, impugnat.

3.) Paulus 1. Cor. XV. 2. 3. ad τὰ πρῶτα, & Evangelium, quo salventur Corinthii, adeoque ad fundamenta fidei &

(g) Eb. VI. 1. 2. Conf. Calov. ad b. l. in Bibl. illustr. & T. II. Syst. p. 5.



& salutis, conceptis verbis, refert doctrinam *de morte Christi pro peccatis nostris* v. 13. Atqui doctrina de Sacramentis involvit doctrinam de morte Christi pro peccatis nostris, quia & *in mortem Christi baptisamur*, Rom. VI. 3. & in Sacra Coena *mortem Domini annuntiare* jubemur, 1. Cor. XI. 23. Ergo Sacramenta, etiam qua doctrinam, pertinent *πρός τὸ πρότερον*, & fundamenta salutis.

4.) Quia cum *doctrina*, tum *praxis*, Sacramentorum occupatur circa applicationem meriti Christi, corporis pro nobis traditi, & Sangvinis pro nobis effusi, quam utique ad fundamentum salutis pertinere, negari salva veritate non poterit.

5.) Extenuatio doctrinae de Sacramentis gravissima parit incommoda, & religionem Christianam in contemptum adducit, quippe in qua liceat *organa salutis* non solum pro inanibus, vanis, & umbraticis ceremoniis habere, sed & idem aliis persuadere. Itaque Calixtus ipse, D. PFAFFII alioqui in Irenicis & Sirenicis machinationibus antecessor, (f) scribit: *Reformatorem de Sacramentis sententiam portam omnibus evertendis mysteriis aperire.*

Hæc aliorum, & mea, sunt argumenta e Scripturis & fidei Analogia petita: quibus, cum D. PFAFFIUS nihil, quod sciam, opposuerit; hoc ipsum sic interpretor, quod in eorum soliditate nihil desiderare potuerit.

*Thef. II.*

**S**igillatim vero Sacram Coenam, seu doctrinam, seu praxin spectes, ad fundamentum fidei pertinere non uno argumento evinci potest.

B 2

S. I.

(b) *Disp. I. de Transubst. th. 5.*



§. I. **P**raeter illa enim, quae jam tum de Sacramentis in genere diximus, illud etiam praecipue movet, quod Apostolus de Sacra Coena non aliter, quam de articulis ad fundamentum fidei pertinentibus, disputat. Quando enim *1. Cor. XV, 3.* modum ac ordinem, quo quidem in jaciendo fundamento sit usus, & τίνι λόγῳ, qualique sermone, annuntiarit Evangelium, docere vult, hanc formulam *v. 3.* adhibet: παρεδωκα ὑμῖν ἐν πρώτοις ὁ καὶ παρελάβον, ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν &c. Iisdem vero verbis de mysterio Coena docere incipit, *1. Cor. XI, 23.* cum ait: ἐγὼ παρελάβον ἀπὸ τοῦ κυρίου ὃ καὶ παρεδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ κύριος &c. Quod ipsum manifeste docet, sese non minoris putare doctrinam de Coena Domini, quam doctrinam de morte Domini, quam tamen fundamentalem esse omnes agnoscunt.

§. II. Deinceps improbos Corinthiorum mores circa conventus sacros correcturus Apostolus πρώτως, & primum, hoc improbat, quod Coena Domini non ea, qua debebant, ratione utantur, *1. Cor. XI, 18. 20.*

§. III. Tum vero doctrina de Coena Domini mortem Christi pro peccatis nostris vel maxime inculcat, siquidem, quotiescunque illa utimur, commemoranda est mors Domini, usque dum veniat, *1. Cor. XI, 26.* Hujus vero doctrinam τοῖς πρώτοις denuo accenset Apostolus. *c. XV, 3.* Doctrina igitur de Coena numero Capitalium eximi non potest. Doctrina enim de passione ac morte Christi est manetque fundamentalis, sive proponatur simpliciter, sive applicetur ad Coenam.

§. IV. Ad haec Verba Institutionis Sacrae Coenae sunt verba testamenti, quo Christus regnum Dei, vitamque ipsam, nobis legavit *Luc. XXII, 29. 30.* Doctrina ergo de sensu istorum verborum, & verba ipsa, citra regni Dei jacturam;

cor-



corrumpi non possunt. Graviter & præclare Corpus Prutenicum: *Posito vero statu Controversiæ, de presentia scilicet Corporis Christi in S. C. non ita eludenda est questio, quasi NB. citra discrimen salutis indifferens sit, quid quisque de hac questione sentire velit. Quia enim agitur de sacrosancto & inviolabili testamento Filii Dei, in quo ultimam suam voluntatem in ea nocte, qua traditus est, Ecclesiæ & dilectissimæ sponsæ suæ, potenti suo verbo disposuit, certe nec possumus, nec debemus, testamentum summæ hujus personæ leviter, tanquam adiaphoron, extra causam fidei & salutis ponere, multo minus vero petulantia ingenii in testamento illo ludere, pervertendo vel minimum ejus apicem, omnium vero minime illud, quod fundamentum est eorum bonorum, quæ in testamento illo legata sunt, inde tollere. Paulus enim dicit Gal. III. illud ne in hominis quidem testamento, si comprobatum sit, citra notam insaniam, & sine crimine sacrilegii, fieri.*

§. V. Urgeo & hæc, quod in usurpatione Sacræ Cœnæ jubet Apostolus *judicium* adhibere, & de illa cum Corinthiis, *ὡς φεγοῦσιν*, loquitur, 1. Cor. X, 15. Addit enim, *qui indignè edit & bibit, judicium sibi edit & bibit, propterea quod non discernit corpus Domini. c. XI, 29.* Jam cum *δειξιπσις*, seu discretio supponat *intemeratam doctrinam*, sequitur, hanc, procul periculo divini judicii, corrumpi non posse.

§. VI. Denique id ipsi Reformati vel expresse, vel tacite, largiuntur. Primo enim Caput de Sacra Cœna suis *Catechesibus* inferunt, quibus quidem fundamenta fidei complecti eos voluisse dubium non est. Deinceps STRIMESIVS (a) & alii Reformati, concedunt, *in articulo de Sacra Cœna concipi posse hæresin*: imo IGNATIVS, Episcopus Antiochenus & martyr, quosdam septis sacris exclusit i. e. inter

(a) De fundament. Consens. inter nos & Reformatos p. 30.



hæreticos retulit, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν ἔχειν τὴν σάρκα τῆς Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ, teste THEODORITO. (b) Quod ipsum fieri non posset, nisi articulus ipse ad fundamentum fidei pertineret. Postremo NEOSTADIENSES sua in Admonitione, quam inter Reformatos auctoritate prope symbolari gaudere constat, cum multa pro sua, multa contra nostram sententiam, dixissent, adjiciunt: *Hæc non sunt λογομαχίαι, nec de lana Caprina contentio, sed de rebus maximis & NB. FUNDAMENTIS religionis disputatio est.* (c) E quibus inferimus, doctrinam quoque de Sacra Coena, ipsorum Reformatorum judicio, ad fundamentum fidei spectare.

## Thes. III.

EX quo autem porro sequitur, errorem circa Sacramenta committi posse fundamentalem, per quem nempe medium vel concipiendæ, vel retinendæ, fidei enervatur, fidesque ipsa, si non actu destruitur, destrui saltem potest.

S. I. D. PFAFFIO is demum error est fundamentalis, qui fidem actu destruit, imo *necessario* destruit. (†) Qua quidem persuasione fieri non potest, quin tum se, tum alios, misere decipiat. Perinde enim est, ac si quis diceret, nullam *veritatem* esse fundamentalem, nisi quæ actu ipso fidem conciliet. Scimus autem, momentum veri & falsi non æstimandum esse *ex actu*, sed e *potentia*. Verbum enim Evangelii est *potentia ad salutem*, quia *potest credentem saluum facere*, ut ut non credentes damnentur, & hæresis dicitur τῆς ἀπολείας, ut ut hic

(b) *Dial. III. T. IV. OO. f. 154. (c) p. 508. ed. Hanov. (†) Th. II. p. 10.*



hic vel ille hæreticus ex accidenti salvetur. Enim vero in Galatis omnibus dici non potest, quod error de necessitate implendæ legis ad salutem a Pseudo-Apostolis propinatus fidem actu destruxerit, alioqui Paulus eosdem non potuisset salutare *fratres*; nihilominus tamen *verum evertisse*, & *novum attraxisse Evangelium* dicitur. *Gal. I, 3. seq.* adeoque *pro fundamentali* ab Apostolo declaratur, et si forte in paucissimis fidem actu ipso destruxerit. Sicut enim aliquando venenum in se noxium, & omnium confessione mortiferum, vel bonitate naturæ, & magnitudine virium superatur, vel sumto etiam antidoto, ne homini vitam eripiat, reprimitur; sic fieri potest, ut venenum spirituale, *hæresis perditionis*, in hoc illove homine, vel sumto e verbo Dei antidoto, vel etiam assiduitate precum, & firmitate fidei superetur, quod alioqui omnes hominis spirituales vires, vitamque ipsam, fuerat certissime erepturum. Distinguendum itaque est, inter *effectum* naturæ suæ, per se, & *ordinarie secururum*, & effectum *ex accidenti non infecurum*. Justus Jonas, e. g. cum puer esset, cepe quoddam Patris sui, peste infecti, abscessui impositum, quod omne ex eo venenum ad se traxerat, procul incommodo & noxa deglutivit: adeoque venenatum, cepe mortem *ex accidenti actu ipso non attulit*, quod tamen, ni singularis Dei providentia, quæ magnis eum rebus destinaverat, obstiteret, *natura sua fuerat certissime allaturum*. Sic Apostolis non erant actu ipso nocitura *Ἰουδαῖοι*, etiam, si haurirentur ab ipsis: neque tamen propterea vel desinebant esse, vel dici non merebantur, *Ἰουδαῖοι*? *Marc. XV I, 18.* Imo Peccatum ipsum aliquando ex accidenti fit *veniale*, si nempe vel sit ab homine nato ex infirmitate & ignorantia commissum, vel etiam, si atrox & grande sit, *ob intervenientem penitentiam*, actu ipso

ater-



aternam mortem non attrahat; & tamen, quantum-  
que nobis de cetero videatur, *Deut. XXVII, 26.* est manet-  
que in se suaque natura mortale. Sic etiam hic vel ille  
capitalis error non definit esse fundamentalis, ut ut in  
hoc vel illo fidem, ex accidenti, actu ipso non destruat:  
Sufficit enim, quod natura sua, & per se, in hoc, & aliis  
destruere potuisset.

*Thef. IV.*

**S**igillatim vero Reformationum doctrina  
de Sacramentis ab errore in fundamen-  
to absolvi propterea non potest, quia ipsi  
forte de re nec aliter, nec melius, sunt  
persuasi, sed bona potius fide errare vi-  
dentur.

§. I. **P**AFFIVS duplici argumento nobis vult persua-  
dere, errorem in doctrina de Sacramentis non  
esse fundamentalem. *Primum* est, eos, qui circa  
Sacramenta erroneas sententias fovent, capitaliter qui-  
dem errare, *ubi aliter, & melius de re ipsa persuasi sunt*, ad-  
eoque *voluntarie, & per malitiam*, errent. Si qui vero  
circa ea, imo & eorundem substantiam & efficaciam, *bo-  
na fide errent*, eos ab errore in fundamento absolvi debe-  
re. *Alterum* est, Sacramenta non esse *absolute necessaria*  
ne quidem *quoad praxin.* (a)

§. II. Quod autem ad *primum* spectat, D. PAFFIVS  
initio distinxisse debuerat inter *errorem*, & inter *errantes*,  
quæ tamen hoc loco manifesto confudit. Ab his enim  
ad illum non magis argumentari licet, quam a peccato-  
re ad peccatum. Multi peccatores, dum fuerint renati,  
vel

(a) *Vid. disp. th. II. p. 10. sq.*



vel venialiter peccant, si nempe ex infirmitate, vel ignorantia id fiat, vel saltem, ut per malitiam peccarint, dum resipiscant, non actu ipso damnantur, quia nihil est condemnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, *Rom. VIII, 1*, nec tamen ullum peccatum natura sua est veniale, sed potius omne peccatum simpliciter est damnabile. Reatus enim in Justificatione non tollitur a peccato, sed a peccatore. Uti ergo ex hoc, quod multi peccatores per poenitentiam iram Dei, & aeternam damnationem effugiunt, pessime inferitur, peccata eorum non fuisse damnabilia; ita etiam ex eo, quod forte illi, qui ex simplicitate, & bona fide errant, non damnantur, male concluditur, errores in se suaque natura non esse damnabiles, vel fundamenta fidei adversos. Recte WITTENBERGENSES apud LVD. DVNIE; (c) *Quilibet doctrina, qua verbo Dei contrariatur, & in fundamentum fidei impingit, est damnabilis non autem quilibet, qui illi religioni adheret, est damnandus.* Accurate hic distinguenda sunt, ut BOTSACCVS ait, (d) *error & errans persona. Error ipse, si sit fundamentalis, est damnabilis, 1. Cor. III, 11, hominibus autem parcendum, & pro salute illorum orandum est.*

§. III. Non igitur quaritur: Num omnes Reformati propterea sint *damnandi*, quia errant in doctrina de Sacramento, sed, numne circa Sacramenta *damnabilis*, & exitiosus error, committi possit, vel etiam a Reformatis conceptus fuerit? Ad quod inficiandum nil facit, quod de Sacramentorum vel substantia, vel efficacia, *multi nec aliter, nec melius sunt persuasi.* Gravitas enim, & momentum erroris alicujus non pendet ab hominum *persuasione & judicio*, quod hi sepe numero rem plane aliter aestimant, quam

(c) *In Cas. Consc. f. 819.* (d) *In Antopol. sua c. D. Gregor. Pauli p. 26.*



quam debebant, & aliquando in levissimis numerant, quæ inter gravissima, & atrocissima retulisse debuerant. Sæpe *simplex ignorantia*, quæ nec bonam, nec malam persuasionem infert, exitium attrahit. Trinitatis e. c. non solum *negatio*, verum etiam *ignorantia*, est *damnabilis*, unde & gentiles, qua tales, ab omni spe Salutis simpliciter excluduntur *Matth. XLIX, 17. & Eph. II, 12. IV, 17. 18. 2. Thess. I, 8. 1. Job. II, 23*. Multo magis *error*, per quem quis non modo in mentem non recipit verum, quod recipere debebat, sed etiam admittit, defenditque contrarium, damnabilis erit, seu de cetero errans intra se aliter, & melius persuasus sit, sive non sit. Errorem igitur, errorisque momentum, non ex errantium persuasione, sed intrinseco illius valore, & relatione ad fundamentum fidei, prævio illius ad Scripturas, & salutem, examine, iudicare debemus. Prout enim error verbo Dei plus minusve, directe, vel oblique, contrarius fuerit, fideique fundamenta levius, vel gravius læserit; ita etiam fundamentalis vel fuerit, vel non fuerit. Sadducæi resurrectionem mortuorum negantes procul dubio in fundamento errabant, ut ut sibi nihilo minus, quam Pharisei, sapere viderentur, Deoque, procul omni expectatione præmii post hanc vitam, serviendum esse putarent. *Matth. XXII*. Apostoli non aliter, nec melius, de regno Christi persuasi erant, quam quod in eodem primatui, aliisque honoribus, locus futurus esset; & tamen excludendi erant ab ipso regno, nisi reverterentur, *Matth. XLIX, 3*. Galatæ profecto non mala fide errabant, quod & ab aliis fuerant in errorem inducti, & non aliter, nec melius de mediis recuperandi Salutem persuasi erant, quam, juxta fidem in Christum, etiam legem Dei, & Circumcisionem servari oportere, & tamen evacuati esse a Chri-

sto,



sto, & gratia excidisse dicuntur. *Gal. V, 8.* Denique & qui Christum, vitæ ducem, in crucem egerunt, illud ex ignorantia fecerunt, *Act. III, 17.* & qui hodie servos ejus, tantam Dei, & veritatis divinæ hostes, persequuntur ac vexant, sibi videntur hoc ipso cultum & officium Deo præstare, *Job. XVI, 2.* quos tamen vel a capitali errore, vel grandi scelere, nemo absolverit. Recte igitur B. P. HABERKORNIVS (e) scribit: *Si hoc principium valere deberet, quod illi nec heretici, nec fundamentum fidei evertere dicendi sint, qui se nec videre, nec agnoscere, dicunt, quod dogmatibus suis fundamentum fidei evertant, (i. e. bona sese fide errare dicunt;) tum profecto omnes pene hæcenus in Ecclesia damnati heretici, Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Pelagianæ, &c. absolvendi erunt. Etiam, hodierni Socinistæ impudenter hæreseos & censuram damnationis hoc ipso declinare sudent, quod dicunt, sese non advertere, opiniones suas sacris literis contrarias esse. Vid. Socinus in L. quod regnum Poloniae &c. Imo MICH. SERVETVS, aliique profani & impij homines, vivi cremari, quam atrocitatem, & perniciem opinionum suarum agnoscere maluerunt. Quisquis igitur momentum & gravitatem erroris ab errantium persuasionem ac fide pendere cum D. PFAFFIO arbitratur, is omnibus hujus furfuris hominibus frigidam affundit, cum ARMENIANIS, qui docebant, Socinistarum sententiam impune ferri, neque aliquid tristius in eos statui oportere, quod omnibus nervis adhibitis vim consecutionis suæ, vel ex ingenii imbecillitate, vel rationum ex utraque parte adductarum seu obscuritate, seu pari pene, & equali, verisimilitudine, vel consentientium secum multitudine, vel aliis causis moti NB. nulla vero animi malitia, in sequiorem par-*

(e) In Enodat. errorum Syncretist. circa artic. fidei fundament. p. 3.



tem concedentes assequi non possint, & hinc certo, & indubie, definiri non posse, quod hic & ille sit hæreticus, nisi is ipse culpam fateatur, &, malitiam in causa fuisse, ingenuè declaret, quod de iis, qui probæ & bonæ conscientiæ studiosi videri volunt, præsumere temeritatis pene apex sit, ut VEDELIVS refert. (f) E quibus facile apparet, ut denuo HABERKORNIVS scribit, hoc principium esse hujusmodi, juxta quod omnes hæretici excusari possunt, & e Catalogo hæreseos deleri debent, quodque ipsi Photiniani & Arminiani urgent, ut hæreseos suæ, & aliorum, maculam diluant. Quum autem hoc Principium jam olim a Reformatis ipsis in certamine cum Arminianis rejectum fuerit, idem nunc a D. PRAFFIO, ad eosdem Reformatos, ab hæresi vel errore in fundamento fidei absolvendos, male accommodatur.

§. IV. Distingvimus porro inter errorem simplicem, & affectatum, ac pertinaciter defensum, vel etiam inter eos qui ex simplicitate, & eos, qui ex malitia, errant. Ita enim ipsi ORDINES PROTESTANTES: (g) Quod ad Condemnationes, reprobationes, & rejectiones impiorum dogmatum, & NB. ejus præsertim, quod de Sacra Coena extitit. -- nequaquam consilium, & institutum nostrum est, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemii in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multo vero minus totas ecclesias, quæ vel sub imperio Romano nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens & animus noster fuerit, hæc ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces Doctores, & blasphemos duntaxat, palam reprehendere, & damnare, -- quod illi errores expresso Dei verbo repugnant. Consentiunt

DARM-

(f) In Raps. p. 95. 96. p. 121. n. 6. Et in Respons. ad spec. Calumn. spec. 2. p. 41. 82. 83. (g) In Prasat. L. Concordiæ. p. m. 21.



DARMSTADTINI, (h) GERLACHIUS, Theologus Würtembergicus, etiam ad *docentes* extendit, (i) veruntamen *simpliciores*, & qui nullum aliud doctrinæ genus cognoverint. Rem omnem vero eleganter perorat SIGWARTVS, Theologus pariter Würtembergicus, (k) his verbis: *Non ambigimus, quin multi in Adversariorum (Calvinianorum) Eclesiis, manifestis Christi verbis simplici corde fidem habeant: Doctorum suorum strophas, contorsiones, & perversiones Scripturarum in istis gravissimis materiis aut non NB. intelligant, aut non NB. curent, simplicitate nimirum verborum Christi contenti, nec multum serubentur, ac proinde salventur. Alii vero, licet in Articulis inter nos controversis NB. fluctuent, tandem tamen in agone manifesta Scriptura iudicium rationis vincit. Qui vero jam Doctorum suorum suggestionibus erroribus NB. imbuti sunt, hi ex mera simplicitate, imbecillitate iudicii & ignorantia, rectius instituti errant: Et si sincerius erudirentur, erronea sua dogmata procul dubio agnoscerent & abjicerent, veritatique cederent, & in ea acquiescerent: Nec etiam veritatem NB. obstinate oppugnant, multo minus blasphemant. Hi gratia DEI, NB. qua peccata & ignorantias ipsi condonat, NB. salvantur, si Fide in meritum Christi se sustentent. Alia vero & longe alia Doctorum Calvinisticorum est ratio, quibus error NB. ex verbo DEI sepius est monstratus, ipsi etiam non semel tantum moniti, uti Heresim & abominaciones suas (quarum ipsos pudet coram cætu, uti in suis habent scriptis, publice & palam proponere) deserant; Verum semel conceptas opiniones, ne errasse videantur, obstinate retinent, pertinaciter tuentur, Veritatem, cui tamen resistere non possunt, contra conscientiam NB. impugnant & blasphemant.*

C 3

(b) In *Spec. refut. Amob. Cassell.* p. 665. (i) In *Ani Dan.* p. 96.  
 (k) *Contra Jren. Paris* p. 138. sq.



blasphemant, nec non scandala foveant, & rotum Christianum orbem, partim extenuando suos errores, seducere, partim vero vi & machinationibus politicis propagare student. Hos tanquam infirmos cum omni lenitate tolerandos, & ut vera Ecclesie membra charitate Christiana complectendos esse, nusquam precipit Scriptura. Verum contra potius vult, Gal. V, 12. c. I. v. 8. ut exemplum Pauli imitantes, ejusmodi turbatoribus exterminationem denunciemus, & NB, Anathema dicamus, nisi ab erroribus respiciant. Quemadmodum enim ingens discrimen est inter peccatores, quorum alii ex nullo proposito, sed ex NB. ignorantia & imbecillitate carnis tantum labuntur, alii, licet sepius admoniti, nihilominus tamen obstinati NB. in peccatis perseverant: Ita quoque inter NB. errantes & NB. pertinaces est discernendum: Quorum illi cum lenitate tolerandi; Hi vero, quamdiu tales, fugiendi & cavendi. Quemadmodum id exemplum Apostoli erga Galatas seductos, & Pseudo-Apostolos seductores, luculentissime demonstrat. Quapropter nemo nobis vitio vertet, si nos ipsum exemplum Apostoli imitati, Calvinianis Doctoribus idem respondeamus. Hactenus SIGWARTVS.

S. V. Dixerit forte Dissentiens: Semet ipsum largiri, quod Reformati capitaliter errent; sed num aliter & melius intra se ipsos sentiant, adeoque ex pertinacia veritati resistant, neminem, praeterquam DEVM *υπερταυτων*, certo nosse: quapropter ex charitate praesumendum esse, quod errent bona fide. Sed enim ut charitas omnia speret, non plura tamen sperare debet, quam decet. Dantur peccata contra conscientiam admissa, dantur & errores contra conscientiam defensi. Esto autem, Reformatos quosdam de Sacramentis nec aliter, nec melius, quam praese ferunt, sentire. Num propterea ab omni in errando pertinacia omnes sunt absolventi? Datur etiam efficacia errorum, quam DEVS o-

ribus



ribus veritatis se immisituros esse, per Apostolum minatur, *2. Theff. II, n.* cujus etiam justo iudicio DEVS hujus seculi *excæcat infidelium mentes*, ne videant claram Euangelii lucem, & vel aliter vel melius sentiant. *2. Cor. IV, 4.* Sufficit autem, quod aliter & melius sentire, tum poterant, tum debebant. Sunt enim *αυτοκαυτάριτοι Tit. III, 10.* & *θελοντες* aliquando nesciunt & errant, quicquid nesciunt & errant. *2. Pet. III, 5.* Satis enim plane loquitur Dominus in Scripturis: satis perspicue proponit mysteria. Sigillatim verba institutionis Cœnæ Dominicæ sunt verba DEI, DEI tum veracissimi, tum potentissimi: Sunt verba testamenti, nec tamen fidem inveniunt apud Reformatos, qui toties rogati, toties moniti, toties confusi, negant verum corpus & verum Sanguinem Jesu Christi vere, *αδιαιστώως*, & quoad substantiam, adesse, distribuere ac sumi. Num hi a pertinacia in errando, & quod hinc sequitur, errore in fundamento sint absolvendi, piissimo cuique etiam, atque etiam, expendendum relinquo. Perimax enim ille iure censetur, qui, cum veritas non solum in Scripturis manifesto revelatur, sed etiam ipsi sufficienter proponitur, & manifestatur, ita tamen suo errori adheret, ut vel Scripturæ sese opponat, vel sententiam ejus ex pravitate animi percipere nolit, iudicio AMESII Reformati. (1) Quod ipsum cum de Calvinianis recte dicatur, concludo HVNNII nostri verbis: Si semel atque iterum solide ex scripturæ fundamentis admonitus est Calvinista aliquis, & non acquiescat ille, habemus jam expressum mandatum, quid de illo faciendum sit Tit. III, 10. NB. nec expectandum est, donec Calvinista dicat, vel agnoscat, sese convictum esse: scimus enim hæreticos sepe, imo plerumque contra suam conscientiam persistere in errore semel ad defendendum suscepto. (m) Hæc HVNNIVS. §. VI.

(1) De Cas. Consc. L. IV, 4. (m) Vid. Colloqu. Ratisp. Sess. XIII. in fine p. 354.



S. VI. Alterum D. PFÄFFII argumentum, ejus supra mentionem injecimus, est: *Sacramenta non esse absolute necessitatis: hinc, si, vel maxima cum form. Concordiæ ponatur, Reformatos nullam Cœnam habere, fontem tamen salutis apud eos obstruendum non esse.* (n). Dum vero negat, Sacramenta absolute necessitatis esse, procul dubio id vult, dicere, Sacramenta non esse hujusmodi media; sine quibus quis simpliciter, & in nullo unquam casu, salvari queat. Quo sensu, Sacramenta non esse absolute necessaria, facile largimur, quod eorundem non privatio, sed contemptus, damnat. Interim non sequitur, quempiam in iisdem; aut circa eadem, salvo fidei fundamento, errare posse. Hoc enim, quoquo id fiat modo, læditur, simulac aliquid destruitur, ac enervatur, quod in Scripturis ob salutem nostram perspicue patefactum, &, ut a nobis observetur, mandatum est. Hoc ipso enim palam fit, illud esse cum scitu, tum observatu, necessarium, saltem secundum quid, h. e. extra casum morales impossibilitatis. Unde adeo dicit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum celorum, Joh. III, 5.* Quæ verba procul dubio si non absolutam, tamen summam, Baptismi necessitatem insinuant. A qua etsi, quod fateor, S Cœna necessitas gradualiter sit diversa, non tamen propter ea simpliciter est neganda. Omnium enim confessione Sacramenta sunt instituta à DEO, cum adjuncta promissione gratiæ, si iisdem digne utamur. Quoties autem Sacramenta à Christo dicimus instituta, toties fatemur, eadem nobis SVBJACTVRA SALVTIS imperata fuisse, quia Christus nihil frustraneum aut otiosum instituit. Quod si sub jactura salutis sunt imperata, Christus autem nihil frustraneum, & otio-

(n) Vid. Disp. cit. lb. II. p. 10. II.



& otiosum, instituit, sequitur, Sacramenta esse necessaria ad salutem, sive observationem, & praxin, sive cognitionem & doctrinam, respicias.

S. VII. Dixeris: *Hec facile te largiri, quod nihil amplius ostendant, quam Sacramenta quoad doctrinam & praxin necessaria esse: nondum tamen evictum esse, quod absolute sint necessaria; fontemque adeo salutis apud Reformatos restare, si vel maxime illos nullam omnino cœnam habere existimemus.* Ego vero nondum concesserim, ad fundamentum fidei non nisi *absolute necessaria* referri oportere. D. PFAFFIVS enim ipse (o) fundamentum fidei *per præcipua & primaria fidei capita* declarat: *Præcipua* vero non statim sunt *absolute* creditu *necessaria*. Dedit & illud D. PFAFFIVS, fundamenti fidei nomine venire *medium fidei, cum ingenerande, tum retinende ac nutriende*, cujusmodi cum omnium, ipsiusque adeo CANCELLARII, opinione sint Sacramenta, annon hinc sequitur, eadem ad fundamentum spectare? Esto, eadem in fidem non tantum influere quæ doctrinam & *cognitionem*, sed etiam praxin & *usurpationem*: Sufficit, quod & hæc ab illa dirigitur, & *διδάχη* quoque *τῶν Βαπτισμῶν*, (adeoque & S. Cœnæ, cum parium par sit conditio,) ad *Ἐπιπέδιον* ab Apostolo *Ebr. VI, 2. 3.* quod supra docuimus, refertur. Neque vero id dederim, fontem salutis, si vel maxime nullam prorsus Cœnam habeant Reformati, nondum obstructum esse. Utut enim non sit obstructus *ex toto*, tamen est obstructus *ex parte*, quod simulac medium fidei, *etiam confirmande*, vel subtrahitur, vel enervatur, fieri non potest, quin succus forlatis cesset, & fons obstruatur salutis. Hic enim præcui dubio quærendus est *in Sanguine Jesu Christi pro nobis effuso:*  
D quem

(o) *ib. l. p. 8.*





quem cum nobis offerre & exhibere velit cum calice consecrato, Reformati vero per doctrinam suam id fieri nolint, operaque data impediunt, annon hoc pacto sibi & aliis fontem salutis obstruant, æquis animis iudicandum relinquo.

*Thef. V.*

**A**ccedit, quod Reformati sensum verborum institutionis, ut ut assequi possent, dum vellent, assequi tamen nolunt, erutumque a nobis & confirmatum repudiant.

§. I. **D** PFAFFIVS ipse, suo cum WERENFELSIO, fatetur, ei, qui veritatem verborum institutionis S. Cæne vel in minimis saltem suggillet, qui Christo ea proloquente haud credat, qui contra conscientiam in peruersum sensum eadem detorqueat, qui malitiosa mente ductus rem in signa mutet, qui bonis Novi Testamenti fideles, quantum in se est, priuet, qui testamentum Salvatoris nostri corrumpat & invertat, anathema esse dicendum. At, Reformatos horum reos peragi posse, hoc negat. Non enim inter nos & Reformatos de veritate verborum Domini controversa, verum de sensu, totamque adeo litem esse Exegeticam, & queri, quinam verborum institutionis sit sensus, quo semel posito nemo Reformatorum futurus sit, quin eundem cupide amplectatur. (a)

§. II. Verum, hoc si effugio uti licuerit, fieri non potest, quin omnes, etiam in atrocissimis erroribus deprehensi, hæretici protinus sint absolvendi. Ipsi enim Sadducæi, qui tamen errasse, & Scripturas nescivisse a Christo

Serva.

(a) *Vid. Disp. 1b. IV. p. 11. 12.*



Servatore dicuntur, idem hoc excipere potuissent, & dicere, non de *veritate verborum*, sed *sensu* pugnari: dummodo de hoc constet, se facile assensuros. Quo pacto nullus amplius in rerum natura vel statuendus, vel accusandus esset hæreticus.

§. III. Quid autem opus est illa subtilitate distinctionis inter *veritatem verborum* Christi, & *inter sensum*? Si enim hic est verus, quare veritati contradistinguitur? Si non est, quare vocatur sensus?

§. IV. Dicit D. PFAFFIUS: *Totam hanc litem esse Exegeticam*: hoc est de *sensu*, utri eum recte sint assecuti, Reformati an Lutherani (b)? Sit ita. Sed hæc lis decidi melius non potest, quam si videamus, utri horum leges bonæ interpretationis, & regulas, melius adhibuerint. Interpretari enim est, sensum Spiritus Sancti investigare, & assequi. Assequi autem non possumus, nisi mediis hermenevticis recte legitimeque utamur. Atqui prima, ne dicam præcipua, regula, interpretandi hæc est: *a proprietate verborum, procul evidenti, & urgenti necessitate recedendum haud esse*, idque ne ipsi quidem Reformati sustinent diffiteri. Hanc igitur cum sua in Exegesi retineant Lutherani, negligent Reformati, facile patet; utri horum sensum verborum Christi rectius vel assecuti jam fuerint, vel assequi saltem potuerint.

§. V. Ad hæc sensus verborum versus procul dubio is est, qui menti ac intentioni dicentis, per verba significata, respondet. Jam, cum Christus, ceu melioris testamenti sponzor, non pura puta *signa*, qualia obtinebant in Veteri, quod *Zanchius*, & alii Reformati, fatentur, sed rebus ipsis velut imprægnata, non umbram corporis, aut figuram,

(b) *Vid. Tb. IV. p. 12.*



ram, sed corpus ipsum, pro indole novi, quod tum con-  
 debat, Testamenti, & quidem moriens, & cuncta maxi-  
 me serio agens, legare voluerit, mentemque insuper su-  
 am verbis non ambiguis, aut incertis, sed claris, & per-  
 spicuis, aperuerit, num quis sensum verborum ejus non  
 fuerit assecutus, qui mentem ejus & rem significatam as-  
 stimat, judicatque, ex signis, proprieque, & procul inte-  
 gumentis dicta, etiam proprie & procul figuris, intelli-  
 git? Esto etiam, homines, *sibi relictos*, in eruendo sensu  
*tem Christi* teneat, 1. Cor. II, 16. & Spiritum Dei habeat,  
 1. Cor. VII, 40. credendum erat, qui verba: *Hoc est corpus*  
*meum*, sic explicat: *Panis, cui benedicimus, ammon κοινοῦ*  
*Corporis Domini est?* 1. Cor. X, 15. Si enim panis in usu Sa-  
 cramentali, seu ipso actu *δόσεως & λήψεως*, est *medium*  
*communicandi* Corpus Domini, sequitur, & hoc ipsum  
 in Coena substantialiter adesse, & eodem organo, quo  
 panis ipse, a dignis juxta & indignis hospitiibus, accipi.  
 Hunc sensum eruit per Spiritum Sanctum Paulus. Qui, cum  
 praeterea vel mere humani testamenti verbis addendum,  
 vel detrahendum quid esse, neget, Gal. III, 15. multo mi-  
 nus ipsius Christi testamentum corrumpere par erit.  
 Reformati tamen hoc facere non dubitant, eoque ipso  
 portam omnibus mysteriis evertendis aperiunt. Si enim  
 in ipso Testamento Christi a proprietate verborum re-  
 cedere fas est, nil obstat, quin idem liceat tentare o-  
 mnibus in locis, quibus mysteria traduntur. Et vero,  
 ut CALIXTVS(c) observat, *Experientia & Historia restantur,*  
*a negata praesentia Corporis & Sangvinis Domini in sumtione*  
*Sacramentali, transitum factum esse ad neganda mysteria Tri-*  
*nitatis, incarnationis, resurrectionis, imo etiam Creationis mundi*  
*ex nihilo.* §. VI.

(c) In disp. de Transubst. § 3.



§. VI. Nihil ad rem facit, quod suo cum WERENFELSIO scribit, *Reformatos firmiter esse persuasos, sensum nostratum non esse sensum Christi.* (d) Primo enim unde certo novit, firmiter esse persuasos? ZWINGLIO, quod fatetur, suum illud *Significat* genius, qui ater an albus esset, ipse nesciebat, suggestit. OECOLAMPADIVM sententia suæ incertum fuisse, ex historia Colloquii Marpurgensis, & *Vita Dan. Greferi*, qui tunc Marpurgi fuit, colligi potest. Deinceps, si adest, unde nata fuit isthæc persuasio? Numne, quia subsidiis dextrâ interpretationis caremus? Numne, quia leges bonæ interpretationis migravimus? Numne quia Paulum interpretem audire nolimus? Numne, quia per hebetudinem ingenii sensum verborum assequi non valemus? Hæc omnia prius debuerant ostendi, quam quidem, sensum nostrum sensum esse Christi, negarent. Ab hominum enim persuasionem, ut ut firmissima, nec iudicium de veritate vel falsitate sensus, nec iudicium de sensus investigatione dependet. Quin potius *illud* a convenientia, vel non-convenientia, cum mente ac intentione scribentis, *hoc* autem a legitima vel illegitima mediocorum hermenevticorum adhibitione, est derivandum. Quæ quidem cum LVTHERVVS, hujusque socii, bona fide præstiterint, Reformati vero media recte interpretandi huc dum non solum ipsi non adhibuerint, sed nos etiam eadem adhibentes taxarint, ac ne Paulum quidem verba Christi explicantem, audire voluerint; sequitur, eos reclamante conscientia, veritatem verborum Institutionis fugillare, ac torquere, dirumque adeo *anathema* in se ipsos provocare. Hæc WERENFELSII sententia est, quam sibimetipsi, ac Sociis suis, dixit.

(d) In Disp. 1b. 1V. p. 12.



& circumscriptam C. & S. C. præsentiam credit, majore, quam nos, jure ad proprietatem verborum posse provocare. Ego vero nego & pernego, majori, quam nos, jure, provocare posse. Meminisse enim debebant, præsentiam C. & S. C. in S. C. esse non modo *realem & veram*, sed etiam, sano sensu, *Sacramentalem & mysticam*, quod largiuntur omnes, esse præterea *divinam*. Pugnat autem, præsentiam esse mysticam, & tamen naturalem: esse divinam, & tamen circumscriptam & crassam. Stolidum ergo fuerit, verbã, quæ præsentiam mysticam, vereque divinam, κατὰ τὸ ῥητὸν insinuant, de crassa, naturali & circumscripta accipere. Utur enim hoc pacto nil detrahatur veritati præsentie in se, detrahitur tamen eidem, quatenus est *mystica & divina*, quippe quæ *modaliter intellecta*, cum crassa & naturali ac circumscripta conciliari non potest.

Thef. VII.

**P**erperam igitur statuitur, litem de præsentia Corporis Christi in Sacra Cœna, inter nos & Reformatos, in nudam λογόμαχίαν abire.

S. I. **D**. PFAFFIUS scribit: *Se hoc dudum dixisse*. Satius autem esset, si hoc *nunquam* dixisset. Dixit & ante illum, ter & amplius, suis in Miscellaneis ZANCHIUS: (a) dixerunt & alii. Rectene, an secus! mox apparebit. Reformati enim ipsi, ne quid de nostratibus dicam, ZANCHIO & PFAFFIO in faciem contradicunt, e quibus NEOSTADIENSES, (b) postquam multa ultro  
citro-

(a) T. VII. OO. p. 435. 436. 437. 438. (b) in Admon. p. 508. edit. Hanov. in 8.



citroque de hoc argumento attulerant, ita judicant: *Hæc NON SVNT ΛΟΓΟΜΑΧΙΑΙ, nec de lana caprina contentio, sed de rebus maximis, & fundamentis religionis Disputatio est.* ALTINGIVS vero procul ambagibus faturur: (c) *In hoc articulo (decimo nempe) manifestum esse Confessionis dissensum.* Nec ita pridem HASEVS, Doctor Bremensis, (d) audacter scripsit: *Conceptus, quem Lutherani de presentia Corporis Christi in Sacra Cæna fovent, NB. multis fidei articulis adversatur.* Super quo cum adhuc inter utrosque disceptetur, ipsorum Reformatorum iudicio id patet, litem minime in λογομαχίαι abire.

§. II. Equidem PEAFFIVS, ut verba ejus repetam, mentem suam extulit de hoc in *Dissert. II. Anti-Bæi. in Institutionibus, & scriptis Irenicis;* sed ita extulit, ut simul veritatem ipsam, ceu funus, extulit. Repeterem illa, & recensere, ni ipse rem in *Compendium fusam tantisper repetendam sibi esse putasset,* eo ut labore possim supersedere. Hanc igitur de re tota sententiam dicit: *Præsentia Christi in Sacra Cæna est vel naturalis, ad quam & definitiva spectat, vel miraculosa, vel Sacramentalis, vel mere spiritualis. Quarta non datur. Jam naturalem, adeoque & definitivam, miraculosam, & mere spiritualem, & Reformati & nos proscribimus: Symbolicam omnes admittimus: quid itaque litis amplius superest?* (e)

§. III. Plus autem litis superest, quam ut hanc, vel pro inani λογομαχίαι habere, vel, hac non obstante, pacem cum Reformatis componere queamus. Lis enim restat de vera & reali Corporis & Sangvinis Christi in Sacra Cæna presentia: de utriusque orali manducatione & bibitione, eademque ad indignos etiam extendenda;

F

Deni-

(c) *In Disp. Harm. th. XLIX. (d) In Disp. de Prot-Evang. Ao. 1691. in coroll. (e) Vid. th. VII. 16.*



## Thes. VI.

**A**dhæc veram realemque Corporis & Sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam verbis Institutionis clarissime insinuatam, levibus de causis, negando, & impugnando, sanctam Domini Cœnam evacuant, Christumque, cum aliis, tum sibimetipsis, eripiunt.

§. I. **R**eformatos veram Corporis & Sanguinis Christi in Sacra Cœna præsentiam negare, D. PFAFFIVS diffiteri non audet. (a) Interim a capitali eos errore defensus, repetit veterem cantilenam, & addit: *id non ex malitioso quodam affectu, quo in Verbum Dei involare cupiant, fieri, sed ea propter, quod credant, ex præsentia ista manare absurda, contradictoria, Deo indignissima, & quæ religionem Christianam suspectam hominibus reddere possint, quodque credant porro interpretationem suam genio & indoli lingue sanctæ sensuique communi congruam esse, id quod de nostra sententia dici haud possit. Denique putare illos, se peccaturos, si aliam sibi mentem hic inducerent.* (b)

§. II. Quæ denuo & in thesi, & in hypothesi, sunt falsa. Potest enim quis capitaliter errare, etiamsi affectus malitiosus abfuerit. Nam qui Christum suo tempore vel pro Joanne, vel pro Elia, vel pro Jeremia, vel Prophetarum alio, habebant, affectu in eum duci videbantur non malo: & tamen Petrus sua Confessione beatus erat, non illi. Matth. XVI, 14. 15. 16. Sadducæi profecto, quicquid errarunt de resurrectione mortuorum, non ex malitioso quodam affectu, aut

(a) In Tb. V, p. 13. (b) In Disp. tb. V. p. 13.



aut, quasi verbum Dei corrumpere studuerint, errasse videntur, sed ea propter, quod crederent, ea ex doctrina manare absurda, contradictoria, quæque religionem omnem, & cultum Deo debitum, suspectum reddere possent, quippe qui non, nisi sub spe lucri, & præmii, Deo exhibeatur. Credebant etiam procul dubio suam interpretationem Loci *Ex. III, 5.* ut ut dogmati de resurrectione mortuorum contrariam, genio & indoli linguæ sanctæ, sensuique communi, congruam esse, quod de Pharisæorum sententia dici non posset. Imo Judæi, quotquot Evangelium impugnabant, & persequebantur Apostolos, se peccaturos esse credebant, si aliam mentem induerent, & Jesum Nazarenum pro vero Messia agnoscerent. Numne vero propterea neutri capitaliter, & in fundamento, errarunt? Hoc vero novus foret titulus ad omnes hæreticos, *Sabellianos, Arianos, Nestorianos, Socinistas,* reliquos, a reatu hæreseos commode absolvendos. De omnibus enim dici posset, eos non ex malitia errare, aut *verbo Dei, & mysteriis de Trinitate, Incarnatione filii Dei, Justificatione, Resurrectione,* ceteris, contradicere, sed quia ex his videntur tot absurda, contradictoria, Deo indigna, manare: Imo proxima hæc foret via, nullam deinceps hæresin *in dogmatibus,* cum THOMASIO, cujus alioqui præjudiciis fascinatus est D. PFAFFIUS, statuendi.

§. III. Quod autem *in hypothesis* ad Reformatos spectat, discere hic velim a D. PFAFFIO, unde illud tam explorato norit, eos omnes *malitiosi affectus expertes* esse? Nec enim id cuiquam a priori constare potest, præterquam Deo *καθ' οὐρανόν.* Si autem ab effectibus, & a posteriori, argumentari licet ad causam, & antecedens, tum profecto crediderim, malitiosi cujusdam apud Reformatos affectus indicia, nec pauca, nec levia, extare. Nec enim

boni



boni affectus argumenta sunt, quod literam deserunt, & a proprietate verborum, nulla urgente necessitate, deflectunt, quod Christo, Deo omnipotenti, fidem habere abnuunt, quod ipsius Pauli glossam rejiciunt, quod Christo agenti: *Edite, hoc est Corpus meum*, in faciem contradicunt, ejusque Corpus tum vere adesse, tum ore corporis accipi, negant, quod fideles bonis N. Testamenti privant, verba vero ipsius Testamenti corrumpunt, quod portam omnibus evertendis mysteriis aperiunt, nos ipsos autem *ὑπερφυσίας*, & nescio quorum absurdorum, postulant, quod denique videntes non vident, ac de errore toties moniti, ac convicti, resipiscere nolunt.

§. IV. D. PFAFFIVS ad eos excusandos affert: 1) *Omnia illa contradictoria, vel absurda, quae Reformati e doctrina nostra de vera & reali presentia Corporis & Sanguinis Christi manare credunt, ex sententia nostra non, nisi male, intellecta, profluere. Unde & sapientiores inter Reformatos nobis eadem vix amplius imputare, putat.* (c) Sed falsum est, Reformatos sententiam nostram non recte intelligere: falsum est, sapientiores solummodo melius intelligere; falsum denique est, hodie sententiae nostrae tot absurda & contradictoria non amplius imputari. Idque vel unius JO. BERGII, famosissimi alioqui Syncretistae, exemplo docere possum, qui in libro, quem, ut facilius falleret, adeoque affectu minime bono, *daß die Worte Christi noch feste stehen*, exemplo Lutheri, inscripserat, (d) sententiam nostram his verbis exponit: *Daß nicht etwa das Brodt an ihm selber, nach seiner Substanz und Wesen, der Leib Christi sey; auch nicht, wie die Pöbller wollen, in den Leib Christi wesentlich verwandelt werde; aber doch daß der wesentliche Leib und das wesentliche*

(c) l. c. th. V. p. 13. in Not. (d) p. 8.



liche Blut Christi corporaliter, leiblich zu gegen sey, und also daß Er in, mit, und unter dem Brodt und Wein, durch unsern leiblichen Mund gegessen werde; iedoch nicht auff gemeine, leibliche, natürliche, räumliche, irrdische, mündliche, fleischliche, Capernaitische Weise, sondern ganz übernatürlicher, unbegreiflicher, himmlischer Weise: Und zwar daß er so wohl von denen Ungläubigen und Gottlosen, als denen Gläubigen und Bußfertigen, gegessen werde, von diesen zum Leben, von jenen zum Gerichte. Und in diesem mündlichen Essen bestehe die wahre Gemeinschaft des Leibes und Blutes Christi, davon der Apostel redet: 1. Cor. X, 16. Hæc ipsissima sunt BERGII verba, e quibus liquet, quod nostram de Sacra Cœna sententiam sat bene intellexit. Nihilominus tamen totum ei librum opposuit, & acriter contradixit. Ex quo, si maxime de TYRRETINO, STRIMESIO, & aliis, qui omnes sententiam nostram sat bene intellexisse videntur, nihil adjiciamus, de Reformatorum ingenio judicari potest.

§. V. At, inquis, 2.) credere illos, interpretationem suam genio & indoli lingue sanctæ, sensuique communi, congruam esse: nostram non esse (e). Sed respondemus: Momentum erroris non pendere a fide, vel persuasione errantis, sed conditione erroris ipsius, qui, si media recuperanda salutis destruxerit, fundamentalis est, & manet, sive id errantes credant, sive non credant. Neque etiam hoc loco, quid Reformati credant, sed, quam recte credant, videndum est. Sadducæis olim, & Pseudo Prophetis, hodie Papistis, Socinistis, Tremulis, Anabaptistis, idem persuasum est, interpretationes nempe suas genio, & indoli lingvæ sanctæ, sensuique communi, congruas esse; nostras non esse. Num propterea nihil malitiosi affectus eorundem inter-

E

preta-

(e) Th. V. p. 13.



pretationibus vel admistum fuisse, vel adhuc admisceri, existimemus?

§. VI. Instat 3.) D. PFAFFIVS: *Rem ipsam loqui, & clamare, quod nos ipsi proprietati literæ, non in totum, sed in tantum, inhereamus. Imo, ne quidem Romanenses, licet Transsubstantiationem statuunt, proprietati literæ insistere (f).*

Ac de his quidem, eorundemque transsubstantiatione, non est, quod multa respondeamus. Quid enim ad nos, qui foris sunt? Nos autem non *in totum*, sed *in tantum* proprietati literæ inhaerere, longe falsissimum est. Nec enim *qui eandem ex toto sequi cupiat, statuere necessum habet, in S. C. Corpus Christi naturale & visibile, absque pane, physice adesse, & ore Corporis naturaliter manducari*: quod omnino absurdum est. (g) Interim multo foret absurdius, presentiam Corporis Christi naturalem in mysterio somniare, &, licet Dominus ipse *panem* sumplerit, ac dixerit: *Edite, hoc est corpus meum!* presentiam tamen *absque pane* statuere. Proprietatem enim verborum *ex toto* sequi possumus, utut verba proprie intelligenda nec torqueamus, nec mutilemus.

§. VII. Proprietati ergo verborum *ex toto* insistimus, ubi eidem tantum insistimus, quantum ex mente loquentis insistere debemus. Talis autem h. l. intelligenda est verborum proprietas, qualis in propositionibus ex unione quadam fluentibus, vel etiam *exhibitiuis*, locum habere potest. Cujusmodi cum nos *in totum* retineamus, sequitur, nos proprietati non *in tantum*, insistere. Enimvero quotiescunque exhibitiva quædam propositio, *etiam propriissime*, accipienda est, subiectum  
ejus

(f) *Tb. VI. p. 14.* (g) *In not. ad Tb. VI. p. 15.*



ejus, quod totum *συμπεπλεγμένον* arguit, non significat ignobilius, vel id, quod viderur, (hoc enim, cum per se incurrat in sensus, ut conceptis verbis exprimatur, non indiget;) sed potius id, quod est nobilius, & sub eo, quod viderur, quocunque modo tum continetur, tum exhibetur. Quando quis, e. c. tradita cistella, dicit: accipe, utere, fructu, hoc sunt mille Joachimici, vel, porrecta lagena: accipe, bibe, hoc Rhenanum est, vel, tradito quantum vehiculo: accipe, hoc generosum medicamentum est! annon ratio ipsa dictat, retineri verborum proprietatem, si vel maxime, e duobus *συμπεπλεγμένοις* id solum, quod est nobilius, nec tamen incurrit in sensus, nominetur? Cumque Reformati ipsi contendant, unionem inter panem & Corpus Christi in Cœna *symbolarem* esse, annon ratio ipsa docet, proprietatem verborum simpliciter retineri, si vel maxime, per & propter illam unionem, in, cum, & sub symbolo nobilius quid, & sublimius, tum adesse, tum porrigi arbitremur? Uti enim proprietates verborum in totum retinetur, si quis illud: *Dominus precedebat Israelitas interdum quidem in columna nubis, noctu autem in columna ignis*, accipiat ita, quod DEUS, etiam *quoad substantiam*, vere & realiter, modo tamen supernaturali, & specialiore, *in, cum, & sub* illa columna, tum præsens fuerit, tum præsens Israelitas deduxerit, vel etiam quum Spiritus S. ad Jordanem super Christum *ἐν σωματικῷ εἶδει* descendisse dicitur, hoc ita intelligat, quod *in, cum, & sub* corpore columbino Spiritus S. vere, & quoad substantiam, utut singulari modo, præsens descenderit super Filium DEI; denique ut Centurio Christum de cruce pendentem, & cum terribili clamore Spiritum reddentem intuens, propriissime, ac procul tropo & schemate loquebatur, quum diceret: *hic vere Filius DEI fuit;*





fuit; quod in, cum, & sub carne ipse DEUS crucifixus erat & mortuus; sic etiam ratio ipsa, & sensus communis suggerunt, retineri verborum proprietatem, si quis legens, vel audiens, verba institutionis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum!* eadem sic accipiat, quod corpus Christi vere, & quoad substantiam, *in, cum, & sub pane* consecrato, per & propter unionem Sacramentalem adsit, & porrigatur. Proprietati ergo literarum, quoad propositiones Sacramentales, non *in tantum*, sed *in totum*, infisimus, idque, ut PFAFFIANA formula utamur, *res ipsa loquitur & clamat.*

§. VIII. Urget D. PFAFFIVS 4) nullum vel esse, vel fuisse unquam in toto mundo hereticum, qui naturalem C. C. in S. C. presentiam & manducationem credit, & proprietatem literæ eo usque urserit, quia nempe contra ejusmodi sententiam sana ratio, & sensus communis, quem utique religio exulare hic haud jubeat, recalcitret: Non igitur hoc vitio Reformatis vertendum esse, si vel ipsi proprietati verborum non insistant, vel nos eidem insistere mirentur. Demus autem hoc, nullum unquam hereticum naturalem, modaliter talem i. e. physicam, modaliter inquam naturalem C. & S. C. in S. C. presentiam unquam credidisse, vel proprietatem literæ eo usque urfisse, quia nempe vel sua quemque ratio docebat, rem naturalem, in mysterio presentem, non esse posse naturaliter presentem, at presentiam rei naturalis esse posse veram ac propriam, utut non sit naturalis & physica: Numne vero quis nostrum presentiam C. & S. C. in S. C. naturalem credit, vel proprietate verborum institutionis ad eam incrustandam abutitur? Quin potius proprietatem verborum sic urgemus, ut nihilominus per eandem non, nisi mysticam & supernaturalem, presentiam insinuari statuamus. Quo pacto nec sana ratio,



*ratio*, nec *sensus communis*, nec *fidei analogia*, recalcitrant. Non *ratio*, quod hæc Deo, falli & fallere nescio, veracissimo & omnipotenti, hoc illudve agenti ac promittenti fidem potius habendam, quam negandam, esse suggerit. Non *sensus communis*, qui non magis recalcitrat affirmanti *in, cum, & sub*, pane, vi promissionis divinæ, & in eadem fundatæ unionis *Sacramentalis*, adesse & vere, ac realiter, & quoad substantiam adesse Corpus Christi, quam quidem recalcitrat affirmanti, *in, cum, & sub*, corpore humano, vi unionis *naturalis*, vere, ac realiter, & quoad substantiam, adesse animam. Cum *fidei vero analogia* usque adeo non pugnat verborum, quam urgemus, proprietates, ut etiam, si huic non insistatur, illam non parum corrumpi, lædique existimemus. Si enim hoc in mysterio a proprietate verborum recedere fas est, in omnibus reliquis, dum minima se ratio dubitandi objiciat, ab eadem defectere licebit. Quo pacto fieri non potest, quin tota Scriptura sacra dubia & incerta reddatur.

§. IX. D. PFAFFIUS autem, cum Reformatis suis, videns non videt, & audiens non audit, neque intelligit, quando ex hac a nobis defensa proprietate verborum, 5) *presentiam* quandam *Corporis Christi physicam, naturalem, definitivam, carnalem, crassam & Capernaiticam manducationem* itidem *naturalem inferri*, nobisque *imputari, nec inferenti ac imputanti quicquam a nobis obverti posse existimat.*

(h) Quid enim? Nilne potest esse verum proprieque dictum, nisi sit *naturale & physicum*? Nullane datur vera & realis presentia, quam *naturalis & crassa*? nec vera & realis manducatio, nisi *Capernaitica, & crassa*? Sequetur igitur, & DEVM *physice & naturaliter affuisse sub ru-*

E 3 bo,

(b) l. c. th. VI. p. 14. seq.



bo, & Filium DEI sub carne, & Spiritum Sanctum sub corpore columbino, & Christum a resurrectione sua crasse & capernaitice manducasse. Annon vero sat constat, ac infinitis fere exemplis doceri potest, quod, qualis sit unio, talis sit unitorum ad se invicem presentia, & participatio. Jam cum unionem corporis & panis in S. Coena non naturalem & crassam, sed supernaturalem & mysticam esse sciamus, annon hinc fluit, presentiam Corporis Christi *in, cum, & sub* pane, pariter Sacramentalem esse & mysticam, non autem naturalem & crassam?

§. X. Illud præterire non debeo, quod D. PFAFFIVS Presentiam C. & S. C. in S. Coena etiam *definitivam* esse negat, causatus, eandem esse *naturalem & Spiritibus tribui, & a nostratibus perinde, ut Reformatis, proscribi*. Veritamen, dum recte explicetur presentia definitiva, quo mittis & ea, quæ est C. & S. C. in S. C. ita nominari possit, nil obstat. Equidem Reformati eandem proscribunt, ne cogantur fateri, C. & S. C. *eodem in loco* esse presentia, quo in loco elementa consecrata, juxta institutionem Christi, dantur & sumuntur: proscribit & D. PFAFFIVS, quo in eorum gratiam largiri possit, *Corpus Christi tantum esse a nobis, quantum Cælum distet a terra, presentia scilicet definitiva* (1). Nos autem tanto minus hanc vocem subterfugimus, quod Christus ipse presentiam suam, etiam secundum Carnem & sanguinem, fidelibus promittens, adverbis loci, *ἔ* & *ἐν* utitur. *Matth. XIX, 20.* & illo ipso in loco terræ eam presentiam promittit, quam ipse Corporis & Sanguinis sui communicatione definit. Imo vero, cum presentia Sacramentalis dubio procul sit *specialis*, erit etiam, si non *ratione sui*, saltem *ratione modi*, defi-

(1) *h. c. pag. 15.*



definitiva. Nec enim praesentia speciali *ubique* adest, sed in certo quodam & *definito loco*, ut non *localiter*, (k) sed mystice ac supernaturaliter. Quia Coenam vero sigillatim adest *sub symbolo*, sub quo certe non omnibus in locis, sed iis solummodo, in quibus dispensatur, adest. Nec enim Corpus & Sangvis Christi semper, & *ubique*, coalescunt cum pane ac vino, sed ubi, & quando, administratur Coena in terris. Ergo nec vi coalitionis *semper*, & *ubique*, sibi mutuo & indistanter sunt praesentia, sed *hic*, & *nunc*, ubi & quando administratur Coena, *tempore definito*, *in loco definito*, *sub symbolo definito*. Quo pacto praesentiam ipsam *definitivam* dicere, nulla me video vel religione, vel nostratum auctoritate, prohiberi. (1)

§. XI. Sed nec *carnalem* praesentiam vel improbare simpliciter, vel explodere velim cum D. PFAFFIO. Si enim *objective* sumatur vox, tunc non minori jure praesentiam illam carnis Christi dixerim *carnalem*, quam Apologia nostra praesentiam corporis *corporalem* vocavit. BRENTIVS certe (m) *Sanguinem in caena carnalem* esse, statuit, *spiritualem* negat, & non ita multo post (n) nos non modo *Spiritu*, ut Patres, sed *& carne* manducare affirmat: quum e contrario Confessio Helvetica posterior (o) *carnalem C. & S. C. praesentiam* hoc sensu neget. Si autem *modaliter* capiatur, & per carnalem praesentiam intelligatur hujusmodi, quae vel nudae carni adhaereat, vel corruptae carni se approbet, tunc praesentiam C. & S. C. in S. C. vel esse, vel dici posse *carnalem*, ipsi diffitemur.

§. XII. Urgebitur: *Interim o) eum, qui crassam, naturalem*  
*& cir-*

(k) Vid. *Wiederl. der Casel. Wechselschr. f. 715.* (1) *Comp. Georgii Meieri Regina Ministra p. 124. & Lobeb. disp. XII. in A. C.* (m) *In Syngrammate lit. A. 8.* (n) *lit. D. 5. 6.* (o) *In Harm. Conf. p. 112.*



Denique cum, juxta Irenæum, Eucharistia constet duabus rebus, terrena & cœlesti, Reformati vero rem cœlestem vere, & qua substantiam, in Sacra Coena adesse, distribuique ac sumi, pertinaciter negent, sequitur, litem de toto N. T. Sacramento restare. In his igitur, ubi Reformatos a nostratibus dissentire ostendero, tum vero eos simul tum realiter, tum capitaliter, hoc in articulo a nobis dissentire, demonstratum habebō.

*Thef. VIII.*

**P**rimo enim Reformati veram, substantialem, ac indistantem, Corporis & Sangvinis Christi in Sacra Coena præsentiam, ingenue non admittunt.

§. I. **D**ico, quod 1) *veram, realem & substantialem* Corporis & Sangvinis Christi in Sacra Coena *præsentiam*, candide, & *ingenue*, non admittant. Omnis quippe substantiarum vera & realis præsentia est unius ad alteram adessentia, procul distantia, ita ut præsentiam sine *adiasutæ* concipere, sit revera hominem sine ratione, vel Deum procul infinitate, statuere. Atqui vero Corpus Christi, post sui in cœlos evectionem, a nobis distare, jamque non in terris, ubi dispensatur Coena, sed in cœlis quærendum esse, Reformati ad unum omnes, seu veteres illi fuerint, seu recentiores, etiam iis in locis, in quibus de illius in Sacra Coena præsentia disputatur, affirmant. Ergo veram & realem ejus in Sacra Coena præsentiam candide fateri non possunt. Hinc ZWINGLIUS suo jam jam tempore eandem ingenue, nec uno in loco, negabat. *Quod*, inquit, *Christi Corpus realiter adse*



adfit -- id non tantum negamus, sed errorem esse verbo Dei ad-  
versum, constanter asseveramus. (a) Et alio loco: Panis &  
Vinum signa sunt, eo quod ipsum Corpus & Sanguis Christi  
PRÆSENS NON SIT. (b) ZANCHIUS (c) audacter, & propalam,  
scribit: Nulla in scripturis aperta mentio est, de præsentia Cor-  
poris Christi in Sacra Cœna; Negat quoque ac pernegat,  
eandem cum ascensione Christi ad cœlos posse conciliari.  
MARTYR (d) perstringit nostros, quod veram & realem  
præsentiam statuunt. CALVINUS simpliciter negat. To-  
ta vero CONFESSIO HELVETICA posterior in observ. (e)  
ad Art. X. Aug. Conf. ita statuit: nec in, nec cum, nec sub  
pane adesse reipsa Corpus Christi aliter, quam hac Sacramentali  
ratione, (i. e. mere significative) dicimus: tum quod verum  
sit Corpus, suo locali situ circumscriptum, tum quod ex terris  
vere supra cœlos omnes istos aspectabiles ascenderit, ibique per-  
mansurum sit, &c. Imo LVD. CROCIVS (f) veram, rea-  
lem, & substantialem præsentiam Corporis Christi, cum  
pane in Sacra Cœna, & ejus manducationem oralem, me-  
diante pane, NB. FORTI CONSENSU NEGARI ET PER-  
NEGARI A SVIS, candide fatetur. ALTINGII, SEDANENSIVM,  
HEIDANI, aliorumque, ingenua testimonia, alio loco dedi-  
mus. (g) E recentissimis BRAVNIUS: (h) data sunt, inquit,  
Sacramenta, ut sint sigilla rerum NB. NON PRÆSENTIVM,  
sed absentivm. Et PICTETVS: (i) Corpus, ait, Christi NON EST  
PRÆSENS in Eucharistia, ita ut sit actu & realiter in Sacra-  
mento.

F 2

- (a) Vid. Conf. T. II. p. 543. (b) ib. p. 476. Conf. Anonymi eru-  
ditum scriptum: Beleuchtung der Reform. Lehre von Heiligen  
Abendm. p. 9. (c) In Miscellan. Tom. VII. OO. p. 134. (d) in Epist.  
(e) In Harm. Conf. Sect. XIV. p. 11. (f) In Assert. A. C. c. Menz.  
ib. 95. p. 244. (g) vid. Disp. nostra de fundam. Diss. in Art. de Sacra  
Cœna c. Sirimesium. S. III. & Disp. I. vind. S. VI. (h) in doct.  
fœd. p. IV. c. 22. S. 21. (i) in Theol. Christ. p. 964.



mento. Imo Jo. Go. PFEFFER scribere non erubescit: *Corpus Christi crucifixum fuit in prima Cena, prout etiam in nostra, NON-ENS.* (k) Quid multa? D. PFAFFIVS ipse (l) conceptis verbis fatetur: *quod Reformati praesentiam C. & S. C. in S. C. negent, eamque Verbis institutionis Christi contrariam asserant.* Habemus igitur, quod negari non potest, confidentes reos.

§. II. Excipitur: *αἰδιωσιῶν* illam, nobismet ipsis fatentibus, *non esse physicam, naturalem, circumscriptivam, carnalem & Capernaïticam, sed sacramentalem & spiritua-lem, symbolicam, caelestem, ac divinam.* Respondemus: Ita quidem est. Interim tamen, eandem etiam *veram & realem* esse, contendimus. Aimus enim esse *divinam*, quam, ut *physicam*, aut *circumscriptivam*, dicere nequeamus, *veram* tamen & *realem* admittere debemus. Reformati autem, *veram* ac *realem* esse *αἰδιωσιῶν* negant, imo simpliciter *omnem* negant. Plane, rotundeque TURRETIVS scribit: *Queritur ex sententia Lutheranorum de praesentia reati per indistantiam. Quam NB. negamus.* (m) D. PFAFFIVS scribit, eosdem *αἰδιωσιῶν symbolicam* nobiscum statuere, vi cujus res signatae symbolis suis adsint. Ac *Symbolicam* quidem eos *αἰδιωσιῶν* admittere fateor: *nobiscum*, & sensu eandem intelligimus talem, vi cujus substantia rei caelestis non abest a symbolis, vel repraesentatur in symbolis, aut *fide* solum unitur cum symbolis; sed vi ordinationis divinae adest, & exhibetur, in, cum, & sub symbolis, eodemque organo participatur cum symbolis. Talem vero nobiscum Reformati non statuunt. VOSSIVS enim scribit: *In Sacramentis signatum NB. non cum signo, sed nobis-*

(k) in *Man. Theol. Select.* p. 119. 120. (l) in *Th. V. p. 13.* (m) *V. P. III. Theol. Elenct.* p. 568.



nobiscum, unitur. (n) Et RIVETVS: (o) *Quod sacramentaliter præsens est, non est substantia sua præsens, & contra. Nam præsentia Sacramenti, & Symboli, non est præsentia rei significata.* Omnium, clarissime BEZA: (p) *Conjunctionis modum dicimus significativum, ne quis rem cum signis putet ita copulari, ut Christi quoque Caro nunc in terris adsit, modo quodam invisibili, aut incomprehensibili. Abesse igitur Christi Corpus & sanguinem a Signis tanto intervallo dicimus, quanto abest terra ab altissimis caelis, sive beatorum sede.* Hæc BEZA, cujus utut sententiam non probem, candorem tamen laudo, quod, procul ambagibus inter symbolum in terris, panem, & Corpus Christi in caelis, immanem plane distantiam agnovit, cujusmodi quidem *ὀδυσσεύς* symbolicam nostrates nullo unquam tempore admiserunt. (q) Recte igitur ex ipsis D. PFAFFII Majoribus D. JAGERVS: (r) *Juxta Reformatos Corpus & Sanguis Christi non est realiter præsens, imo nulla ratione præsens est, non naturali & locali præsentia, quia juxta eorundem hypothese[m] Christi Corpus post ascensionem est, & manet in celo: neque adest per modum Corporis gloriosi, ut multis id contendit Turretinus, non per modum corporis destruibilis & mortalis, prout habuit in statu Exinanitionis, nam hunc statum deposuit: denique Corpus Christi in Sacramento Cene plane non adest indigne Communicantibus, ut iterum fatentur. Ergo in speciem tantum asseritur, quod Christi Corpus sit præsens in Cena, sicut & sanguis ejus.* Hæc JÆGERVS, cujus quidem verba si PFAFFIUS attendisset, procul dubio nec sibi metipsi contradixisset, nec unquam Reformatorum sententiam excusasset.

(n) de Bapt. p. 11. (o) in Animadv. ad annot. Grotii in Cass. ad Art. X. p. 85. (p) in Opusc. f. 208. (q) Vid. Lobeb. in A. C. Disp. XII. th. 96. 98. (r) System. P. III. p. 247.



## Thes. IX.

**D**einceps Reformati mere spiritualem Corporis & Sangvinis Christi in Sacra Cœna præsentiam, quod quidem ait PEAFFIVS, non proscribunt.

§. I. **D** PEAFFIVS prædenter scribit: (a) *Mere spiritualem C. & S. in S. C. præsentiam & Reformati, & nos proscribimus.* Contrarium vero clarissimis Reformatum testimoniis ostendam. CALVINVS enim (b) negat, in dispensatione S. C. aliam valere, quam *spiritualem*, præsentiam, eandemque l. c. *corporali*, cuiusmodi Apologia nostra docet, opponit. Denique monet, *Christi Corpus nullibi, quam in cœlis, esse, nec dubitare se, quin se præsentem potentia & virtute exhibeat, NON SECVS, AC SI CORPORE ADESSET.* TRELCAIVS Jun. (c) *non alio modo præsens in Cœna Corpus Christi credi potest, nisi quatenus vere percipitur, ut spiritualis animæ cibus ad vitam.* Accedit BVCANVS, qui: (d) *nostri tamen, & rerum significatarum respectu, conjunctio signorum & rerum significatarum est mystica, & tamen suo genere realis, quippe SPIRITVALIS, SOLA SPIRITVS SANCTI POTENTIA ET VIRTUTE &c.* Omnium vero clarissime rem edisserit recentissimus scriptor, D. TH. GAVERIVS, Theologus Marpurgensis: (e) *Corpus Christi, inquit, quod ascendit in Cœlos, non est HIS IN TERRIS IN EVCHARISTIA præsens præsentia reali, & proprie*

(a) Tb. VII. p. 16. (b) *Suis in Institutionibus p. m. 900.* (c) *in Inst. Method. LL. CC. p. 247. ed. Hanov.* (d) *in L. 45. quest. 12. p. 562.* (e) *in Theol. Didactica C. XXXVII. §. 8. p. 504.*



prie dicta, sed *TANTVM MYSTICA ET SPIRITV A-*  
*LI.* Nec est, quod hic D. PFAFFIVS cum STRIMESIO  
 excipiat: Privatorum haec esse testimonia. Idem enim publica  
 Reformatorum Confessiones loquuntur, e quibus CON-  
 FESSIO ANGLICA: (f) *Corpus Christi, inquit, datur, accipi-*  
*tur, & manducatur in Cena* NB. *TANTVM COELESTI*  
*ET SPIRITV ALI RATIONE.* Medium autem, quo C. C.  
 accipitur & manducatur in Cena, fides est. Et ipsa HELVE-  
 TICA CONFESSIO, Cap. XXI. *Sol absens a nobis in Caelo ni-*  
*hilominus efficaciter praesens est nobis: quanto magis sol. Iusti-*  
*tie, Christus, corpore in calis absens nobis, praesens est nobis, non*  
*corporaliter quidem, sed NB. SPIRITV ALITER per vivi-*  
*ficam operationem &c.* Consentit BASILEENSIS: (g) *Consi-*  
*temur, ait, Christum in sua Sacra Cena omnibus vere credenti-*  
*bus praesentem esse, sacramentaliter nimirum, & per memo-*  
*rationem fidei, ut ad marginem explicatur.* Qua quis  
 nunc fronte, Reformatos mere spiritualem praesentiam no-  
 biscum proscribere, affirmet cum PFAFFIO? Rectius eo-  
 rum mentem assequatur, D. LVCAS OSIANDER, Se-  
 nior, qui (h) scribit: *Esti quidam ita de Cena Domini quan-*  
*doque loquuntur, ut videantur, veram praesentiam Corporis &*  
*Sanguinis C. in S. C. statuere (v. g. cum dicunt, ipsum Corpus*  
*Christi, in quo passus est, realiter nobis in cena dari, & sub-*  
*stantia Corporis pasci animas nostras) tamen paulo post addunt*  
*illorum verborum suorum explicationem, & ajunt, longe a nobis*  
*distare Corpus Christi, & quidam expresse affirmant, tanto lo-*  
*corum intervallo Christi Corpus a Cena abesse, quantum altissi-*  
*imum caelum distet a terris. Itaque certum est, eos NB. non, ni-*  
*si spiritualement, manducationem statuere.* Haec OSIAN-  
 DER. Qui, si nunc suo e monumento prodiret, & Scripta

CAN-

(f) in Syntagm. Conf. Genev. p. 105. (g) ib. p. 13. (h) in fidei  
 admonitione Gallorum p. 9.



CANCELLARIJ TVBINGENSIS inspiceret, procul dubio vel simplicitatem rideret, vel temeritatem reprehenderet, vel proditionem Veritatis detestaretur.

*Thef. X.*

**D**enique nec Symbolicam, vel sacramentalem, præsentiam, sano & conveniente sensu, admittunt.

§. I. **D** PFAFFIVS Evangelicos juxta & Reformatos eandem admittere (a) gloriatur, eaque de causa inter utrosque nihil litis de Cœna superesse credit. Ast plurimum fallitur. Quod enim supra de *αἰδιόσας* Symbolica monuimus, idem de *presentia* quoque Symbolica observamus. Admittunt nempe utrique, sed sensu diverso, quod ZANCHIVS e Reformatis (b) ingenue fateatur. Nostri enim *Symbolicam presentiam* eam esse dicunt, per quam res cœlestis in, cum, & sub simbolo *αἰδιόσας*, vere, & qua substantiam, adest. D. PFAFFIVS noster videri vult, Symbolicam tamen presentiam profus ad palatum Reformatorum describit. Dicit enim, eam esse, *ubi res per Symbola, divinitus ordinata, NOBIS PRÆSENS reddatur*. Quam descriptionem facile dederint omnes Reformati. Ita enim BASILEENSES: (c) *Confitemur, Christum in Sacra sua Cœna omnibus vere credentibus presentem esse: Sacramentaliter nimirum i. e. per Symbola &c.* Et VOSSIVS: (d) *in Cœna non signatum cum signo, Corpus cum pane, sed nobiscum unitur*. THORVNIENSIS autem CONFESSIO procul ambagibus: *Negamus, inquit, in Cœna unionem cum elementis vel symbolis substantialem: ipsam vero NB. nobiscum presentem*

(a) VII. p. 10. (b) T. VII. in *Miscellan.* f. 135. (c) in *Harm. Conf.* p. 117.  
(d) de *Bapt.* p. 11.



sentiam *sancte credimus*. Eandem vero in sententiam D. PFAFFIVS res per symbola *NOBIS praesentia reddi* statuit. Atqui non, an res caelestis *nobis* per symbola *praesens fiat*, quod omnes Reformati concedunt; sed, an res caelestis in S. C. *in, cum, & sub symbolis sit praesens?* disquiritur. Quod Reformati negant, Lutherani affirmant. Unio enim Sacramentalis non inter Christum & homines, sed inter C. & S. Christi & consecrata Symbola, intercedit.

§. II. Reformati ergo nec praesentiam C. & S. C. *sacramentalem*, sensu sano & orthodoxo, admittunt. Nos enim eam in rei caelestis cum terrestri, supernaturali quidem, veruntamen indistante, ac intima conjunctione, collocamus: Reformati (e) vero sic explicant: *Res significatas affirmamus non aliter, quam sacramentaliter, esse cum signis conjunctas, cujus quidem sacramentalis Conjunctionis Veritas non in eo sita est, ut, ubicunque signum adest, ibi quoque adsit res signo representata; sed NB. in eo, ut, quod addito signo Deus promittit, vere id quoque sumendum ipse praebeat. Itaque nec in, nec cum, nec sub pane adesse re ipsa Corpus Christi aliter, quam hac sacramentali ratione, dicimus.* Sic ergo nos Sacramentalem, pro vera quidem & reali, veruntamen supernaturali, ac indoli mysteriorum conveniente, rei caelestis praesentia; Reformati autem, pro mere *significativa*, vel *representativa*, rei absentis, accipiunt. Quo sensu A. C. focii & sacramentalem praesentiam, & *Symbolicam*, rejiciunt.

§. III. Equidem addit D. PFAFFIVS, (f) praesentiam illam *Symbolicam*, quam utrinque dissentientes admittant, non esse *saltem imaginariam, vel intentionalem, sed realem, sed veram, sed exhibitivam, ut ut non physice exhibitivam.*

G

At

(e) in Harm. Conf. ad Art. X. A. C. (f) l. c. Thes. VII. in not. p. 18.



At, hic a spiritu se vertiginis occupatum fuisse, manifesto prodit. Supra enim (g) conceptis verbis dederat: *Reformatos veram & realem C. & S. C. in S. C. presentiam negare*; jam vero, *thesi VII.*, *symbolicam eos nobiscum admittere*, contendit. Quod si ergo symbolica non est saltem imaginaria & intentionalis, sed *vera*, & *realis & exhibitiva*, qui Reformati, juxta *thesi VII. symbolicam presentiam admittere*, & tamen, juxta *thesin V. veram & realem Corporis & S. Christi presentiam negare* possunt? Hic D. PRAEFFIVS usque adeo aperte sibimetipsi contradicit, ac in errore, & præpostero pacificandi studio, deprehenditur, ut, quibus se artibus vel ab ignorantia, vel temeritatis, vel imprudentiæ suspicione liberare velit, non videam. Si enim Reformati veram & realem C. & S. C. in S. C. presentiam negant, Symbolicam, quæ sit realis & vere exhibitiva, statuere nequeunt. Si autem Symbolicam, eandemque realem, & vere exhibitivam, admittunt, tunc veram, & realem presentiam diffiteri non possunt. Quin & hæc cum superiore Symbolicæ presentiæ descriptione conciliari non possunt. Si enim symbolica vera est, & realis, quare per eandem res cœlestis nobis *presens reddi*, non *symbolis ipsis vere adesse*, dicitur, cum tamen a symbolis nominetur? Si autem non est vera, & realiter exhibitiva, sed mere imaginaria & intentionalis, quo jure illam a nobis, perinde ut Reformatis, admitti scribit?

§. IV. Scio, Reformatos aliquando presentiam C. & S. C. *exhibitivam* vocare, sed ludunt vocabulo, nec exhibitionem rei, vel *materiæ cœlestis*, sed *fructus, efficaciam, ac promissionum*, intelligunt. Ita rem explicat HARMONIA CONFESSIONVM, (h) nec non ADMONITIO NEOSTADIENSIS, magna inter Reformatos auctoritatis liber, cum ait: (i) *Sacramen-*

*ta,*

(g) *Thesi V. p. 13.* (h) *ad art. X. verbis paulo ante citatis.* (i) *p. 125.*



ta, sunt sigilla efficacia & exhibitiva, per quæ, tanquam organa sua, spiritus Sanctus operatur & suscitatur, atque confirmat fidem in Cordibus, & per consequens, Christi, & omnium beneficiorum ejus, communionem, in nobis stabilit, atque auget, & Deus vere exhibet, NB. quod per illa nobis significat ac promittit. Eandem in sententiam CONFESSIO THORVNIENSIS: (k) Nequaquam, inquit, statuimus nuda, vacua, inania signa, sed potius id, NB. quod significant & obsequant, simul vere exhibentia, tanquam certissima media, & efficacia instrumenta, per quæ corpus & Sanguis Christi, adeoque Christus ipse, cum omnibus suis beneficiis, singulis vescentibus exhibetur, seu offertur, credentibus vero conferitur. &c. Denique GAVTERRIVS: (l) Signa, inquit, & sigilla sunt tantum testimonia & pignora de rerum exhibitione, NB. quæ non continent res ipsas. Falsissimum ergo est, Reformatos nobiscum præsentiam vere exhibitivam statuere.

Thef. XI.

**Q**uin & in eo a nobis dissentiant, quod orali manducatione immediate solum panem: corpus vero Christi mere spiritualiter accipi, arbitrantur.

§. I. **S**acramentaliter enim oralis manducatio non ad panem restringi, sed & ad Corpus ipsum extendi debet. Simul ac enim panem ore accipimus, in cum, & sub pane consecrato, etiam Corpus Christi eodem ore participamus. Provocat hic PFAFFIVS (a) ad Vindicias Dissert. nostræ de dissensu inter Socios A. C. & Reformatos in art. de Sacra Coena fundamentali, (b) sed

G 2

animo,

(k) §. 10. (l) in Theol. Didact. C. XXXVII. §. 6. p. 502. (a) Vid. disp. tb. VII. in not. p. 18. (b) Disp. 1. §. 29. litera E. 2. in fine.



animo, si dicere mihi licet, quod res est, non bono. Recito mea ipsius verba: *Sacramentalis*, inquam, *manducatio est, qua ore corporis, vi ordinationis divinae, NB. totum complexum sacramentale e re terrena & caelesti constans, corpus quidem, mediante pane, & sanguis, mediante vino, a dignis, aequae ac indignis, ad spiritualem refectionem, omnibus quidem manducantibus a Deo destinata, solis autem fidelibus reapse applicandam, percipitur.* Quid autem ex his D. PFAFFIVS, pro Reformatis eliciet? Num scripsi, oralem perceptionem ad solum panem spectare, ita ut corpus Christi non oraliter, sed solum spiritualiter, sumatur? Annon clare perspicueque doceo, in Sacramentali manducatione ore corporis, vi ordinationis divinae, *totum complexum Sacramentale*, adeoque non solum panem, sed panem cum corpore, & corpus cum pane, accipi, ut ut panis sine medio, corpus in pane & per medium, sumatur? Credo, me veritatem clarius proposuisse, quam ut PFAFFIANIS cavillationibus obscurari se pariat.

S. II. At, quid mea unius verba ab eodem in sequiorum partem accepta esse, doleo, cum ne ipsius quidem Formulæ Concordiæ, in quam iuravit, verbis pepercit. Quia enim hæc, impactum nobis Capernaïsum declinata, sapius monuit, sese *Sacramentalem* etiam manducationem non aliam, quam *spiritualem*, admittere, id equidem D. PFAFFIVS in Reformatorum gratiam ita interpretatur, ac si ne ipsum quidem illud sanctissimum Symbolum oralem C. & S. C. in Sacra Coena manducationem & bibitionem statuerit, sed tantum *spiritualem*. Quam quidem sinistram sententiæ nostratis allegationem ipsius Formulæ verbis omnium facillime propulsabo: (c) *Cum* LUTHERVS, inquit, *aut nos, vocabulo spiritualiter in hoc negotio*

(c) p. 600. 747.



gatio utimur, intelligimus spiritualementem, supernaturalem, celestem modum, secundum quem Christus in Sacra Coena praesens est: & non tantum in credentibus consolationem & vitam, verum etiam in infidelibus iudicium, efficit. Et quidem per vocabulum illud spiritualiter Capernaiticas illas imaginationes de crassa & carnali praesentia excludimus & rejicimus: quae ecclesiis nostris per Sacramentarios post tot publicas nostras protestationes, affingitur. Et hac in sententia intelligi volumus vocabulum spiritualiter, cum dicimus, Corpus & Sangvinem Christi in Sacra Coena spiritualiter accipi, edi & bibi. Tamen enim participatio illa ore fiat, tamen modus spiritualis est. (d) Quibus quidem in verbis perspicue docetur, ore corporis totum sacramentale complexum, adeoque non modo panem & vinum, sed etiam in, sub, & cum pane & vino ipsum quoque Corpus & Sangvinem J. C. in Sacra Coena manducari, & bibi: & tamen D. PRAEFFIVS hunc sensum plane Calvinianum Symbolo, cujus elementa olim in ditione Wurtembergica concepta fuerant, affingit, ac si ore Corporis panem, mediante vero pane substantiam Corporis Christi (non ore Corporis, sed mere) Sacramentaliter & Spiritualiter manducemus: ino in hoc nostrates cum Reformatis consentire, quemvis, qui solum terminos & rem penetret, affirmaturum, jactat. Enimvero sacramentalis illa & spiritualis substantiae C. & S. C. mediante pane acceptio, vel opponitur orali manducationi, vel non opponitur. Si non opponitur, equidem mens Formulae C. retinetur, at quare ore corporis panem, Corpus C. ore fidei, hoc est, spiritualiter, manducari dicitur, & in effectu ore corporis accipi negatur? Si autem opponitur, quo pudore nostrates cum Reformatis in hoc consentire scribit, cum tamen Reformati C. & S. C. spiritualiter, in oppositione ad oralem,

G 3

acci-

(d) p. 755.



accipi doceant, Formula vero Concordiæ spiritualem manducationem & bibitionem non *orali*, sed Capernaïticæ & *naturali*, opponendam esse, fideliter moneat & inculcet?

§. III. Neque vero non PFAFFIVS hic vel aduersariorum mentem parum feliciter assequitur, vel studio eandem dissimulat, vel sibimetipsi contradicit. In notis enim (e) ad thesin VII. adiectis negat τὸ *manducare spiritualiter* τὸ *corporaliter* opponi, quod Christus in Sacra Cœnautique *corporaliter* adsit; sed τὸ *naturaliter* & *carnaliter*, idque non idem dicere, quod *salutariter*, sed *equipollere* τὸ *sacramentaliter*, & *symbolice manducare*, allegatis Formula verbis paulo antea citatis, probare conatur.

§. IV. Verum si spiritualis manducatio, corporali præsentix ac manducationi non opponitur, quare ore corporis panem, *spiritualiter*, seu ore fidei, Corpus Christi, accipi docet, & si corpus Christi vere adesse credit, quare non, perinde ut panem, ore corporis accipi, fateatur? Quid opus est, aliud manducandi organon Pani, seu symbolo, aliud Corpori, sub symbolo præsentis, adscribere? Spiritualis enim manducatio, si vel maxime *naturali* & *carnali* opponatur, *qua modum*, naturale tamen & *carnale organon* non excludit. Excludunt autem Reformati ad unum omnes, etiam recentissimi, Christumque vel *corporaliter* in Eucharistia adesse, vel ore corporis, mediante licet pane, accipi, simpliciter negant, spiritualemque adeo C. & S. C. manducationem & bibitionem non modo *crassæ* & *carnali*, sed & *veræ*, *symbolicæque*, recte intellectæ, & *orali*, quod ipsa observat Formula C. opponunt, adeoque hac in parte nullo modo cum nostratibus faciunt.

§. V. Nullum igitur argumentum cadit ex omnibus,  
qui-



quibus dicitur: *Reformatos praesentiam realem, manducationemque oralem recte intellectam, negare, testamentum Christi destruere, imo novum testamentum, quod sit poculum Eucharisticum, evertere: Caelestem Sacramenti Eucharistici materiam tollere.* &c. Si enim dissentiens iterum atque iterum quaesierit: *quid litis super sit?* cum Apostolo respondebo: *πολλοὶ κατὰ πάντας τρεῖς.* Nec enim suis de erroribus vel minimum deposuerunt Reformati, qui, sicubi linguam LUTHERI quodammodo imitantur, mentem tamen ZWINGLIJ & CALVINI pertinacissime retinent. Re enim penitus inspecta patet, licet quoad verba nobiscum consonent, mentem tamen a nobis alienam esse, ut JEGERVS bene & sapienter observat. (f) Quae igitur olim inter nos controversa fuerunt capita, eadem adhuc sunt in lite. Negarunt olim veram & realem C. & S. C. in S. C. praesentiam; & adhuc negant. Per *Symbolicam* olim mere imaginariam & relativam intellexerunt; & adhuc intelligunt. Oram manducationem & bibitionem C. & S. C. in S. C. olim impugnarunt; & adhuc impugnant. Mere Sacramentalem & spiritualement olim docuerunt; & adhuc docent. Indignos verum & naturale corpus J. C. accipere in Coena olim negarunt; & adhuc negant. Omnia exposuerunt olim hoc in mysterio per *significat*; & adhuc exponunt. Haec igitur, quod D. PEAFFIVS negat, dogmatibus suis praxin fidei & pietatis omnino evertunt. *Quaecunque enim sententia nihil plane relinquit mysterii in Sacramento illo mystico, & summo, sed omnia per τὸ significat exponit, illa sententia est temeraria, in veritatem divinae injuria, atque realem aufert animabus consolationem de remissione peccatorum, per usum verum, & realem Corporis & Sanguinis Christi.* At Reformatorum est talis; Ergo. Quod argu-

(f) F. III. Syst. Theol. p. 245.



mentum denuo est JEGERI, (g) quo MARESIVM confundit, litemque inter nos & Reformatos de S. Coena non inanem λογισμαχίαν, quæ D. PRÆFII persuasio est, sed fundamentalem, esse, ostendit.

*Thef. XII.*

**I**d autem multo est indignissimum, quod omnia illa argumenta, quibus nostrates veram & realem præsentiam C. & S. C. in S. C. probare solent, non solum realem & veram, sed & physicam, localem, circumscriptivam, & visibilem, eadem ratione inferre, eaque de causa, nulla esse, & sua sponte in fumos abire, nec ad extollendum controversiæ momentum urgenda esse, existimat.

S. I. **F**ateor, exhoruisse me animo, & diu hasisse, rectene legerem, vel meis oculis credere deberem, cum illa toridem literis & syllabis a PRÆFIO consignata viderem. (a) Enim vero in nota (b) hæc inter argumenta, quæ nulla esse, & in fumos abire, scribit, refert etiam illud, quod litera urgeatur. Non enim literam, sed sensum literalem, urgendum esse, qui sane & improprius & figuratus esse possit. Opponit igitur literam sensui literali, quod illa non, nisi sensum literalem, verbis propriis, hic vero eundem, verbis figuratis expressum, significet. Dabo tantisper distinctionem, utur eandem olim in *Crocio*, tanquam errorem fundamenta Rhetorica

(g) in *Syst.* P. III. p. 244. (a) in *ib.* VIII. p. 19. (b) p. 19.



torica convellentem notari MENZERVS, (c) nec ratio appareat, quare *sensus literalis*, verbis propriis expressus, non etiam possit vocari *litera*. Sed largiar illud, concedamque, ut *litera τῆ διαβολῆς*; *sensus autem literalis*, non figurato, sed *myssico*, opponatur. Manet interim regula: quod a proprietate verborum, vel *litera*, sine evidenti & urgente necessitate, cujusmodi necessitatem hac in causa Reformati allegare nequeunt, non sit recedendum. Quid enim fiet de Βεβαίωτητι, & immota certitudine SS. literarum, siquidem, præter necessitatem, etiam in sedibus doctrinarum, a proprietate verborum liceat resilire? Ne in testamenti quidem humani interpretatione ab ea recedere, procul evidenti necessitate, licet, nedum divini. Nec est, quod dicat D. PFAFFIUS: in verbis tamen Scripturæ S. aliquando sensum literalem etiam figuratum esse posse. Non enim, an figuratus esse possit, & aliquando soleat, quod largimur, sed an in verbis institutionis vera sit, & ex mente Christi inesse debeat, est videndum. Quod etiam atque etiam negamus. Ostendatur enim, si adest, evidens absurdum, quod ex *litera*, vel sensu literali proprio, fluit! Ostendatur, eundem sensum analogiæ fidei vere contrariari, siquidem necessario est descendendus. Nos nihil horum in eo deprehendimus, aut invenimus.

§. II. Dicas: *At hæc verborum proprietas, præsentiam non modo realem, sed & physicam, localem, & circumscriptivam, ac visibilem, infert.* Ego autem non magis inferre statuo, quam verba, quibus Deus descendere, advenire, manere, inhabitare, imo ambulare, in hominibus dicitur. Ut ut enim Anthropomorphitis favere, & physicam, localemque, ac visibilem, præsentiam inferre, videantur, revera ta-

H

men

(c) In Exam. Cens. Anti-Croc. T. I. 00. p. 241.



men non, nisi verissimam, realissimam, ac indistantem Dei, etiam quoad substantiam, apud homines adessentiam, procul omni tamen localitate, vel circumscriptione, ac visibilitate, important. Idem vero de verbis institutionis pronuntio, quæ, sicut omnium consensione, de mysterio agunt; sic nullam aliam inferunt, vel inferre possunt, præsentiam, quam mysterio convenientem ac dignam, & talem, quæ deceat Corpus personæ Filii Dei, & alia, quam divina, esse non potest, adeoque non est localis, aut physica, & visibilis, *sed locum, tempus, visum, & totam naturam supergreditur, soli que Deo est nota*, ut loquitur MENZERSVS. Jam vero, cum argumenta, quæ fortiorem adessendi modum arguunt, etiam debiliorem involvant, num propterea in fumos abitura sunt omnia, quæ non modo *realem C. & S. C. in S. C. præsentiam*, sed & *crassio-rem*, qualique *fortiorem*, insinuare videntur? Saltem *Apolo- gia* nostra veritatem præsentiae C. & S. C. in S. C. non dubitavit iis veterum testimoniis comprobare, quæ crassam: quandam, localemque, præsentiam sapere videbantur, quia nempe non ignorabar, licere aliquando a majori ad minus, & a *crassissimo, fortissimoque, adessendi modo ad veram saltem, & realem, præsentiam* argumentari.

§. III. Quare nec est, quod in illo syllogismo consideret TVBINGENSIS: *Q. Corpus pro nobis traditum est, quicumque sanguis pro nobis effusus est, illud corpus a nobis in S. Coena manducatur, ille sanguis ibi bibitur. Atqui Corpus naturale Christi, atqui ejusdem sanguis naturalis &c. Equidem dicit, hoc argumentum nimium probare: sed ecquod illud est nimium, quod probat? Numne, quod C. C. pro nobis traditum, & sanguis pro nobis effusus, esse dicitur? Numne, quod Corpus C. a nobis in Coena manducatur, & sanguis in ea bibitur? Numne, quod Corpus Christi naturale, & San-*



& Sanguis Christi naturalis vocatur? Quid, rogo, in his nimium? Certe qui hoc in *nimis* numerat, eum vero, procul omni hæretificii suspicione, dixerim intus, & in cute, esse Calvinianum.

§. IV. Dices: Hoc *nimium* est, quod hoc syllogismo probatur, manducationem illam & bibitionem fieri *naturaliter*, cum *tamen spiritualiter* fieri & Formula C. doceat, & Reformati concedant. Sed enim non sequitur, id, quod est *naturale*, etiam *naturaliter* manducari, Christus a resurrectione suam panem *naturalem*, & pisces *naturales*, edebat: *naturaliter* non edebat. Nec enim ab *Objecto* naturali concludere fas est ad *naturalem modum*. Et quid hoc sibi vult, quod non *naturaliter*, sed *spiritualiter* in S. C. manducari, & bibi, *Formulam Concordiæ docere, idemque Reformatos concedere*, scribit? Numne enim *eodem sensu*, quo Reformati largiuntur, etiam Formula Concordiæ *spiritualiter* manducari, bibique docet? Naviter vero impudentem esse oportet, illud qui affirmare sustineat. Ita enim Formula manducationem & bibitionem *spiritualiter* fieri statuit, ut equidem *naturalem & crassum* manducandi bibendique *modum*, non tamen *naturale* manducandi & bibendi *organon*, quod supra ipsius Formulæ verbis ostendimus, excludat. Reformati autem cum naturali modo etiam *naturale organon* remouent, & pro ore corporis fidem substituunt, adeoque manducationem & bibitionem *Sacramentaliter oralem*, vel oraliter *spiritualem*, in *mere spiritualem* commutant. Pergat vero sic D. PFAFFIUS verba symbolorum nostrorum ad mentem Reformatorum torquere! mox Calvinianos non solum *A. Confessionis*, sed ipsius etiam *Formulæ C.* socios esse, perfvadebit.



*Thef. XIII.*

Quo autem cunque modo Papistæ hac in doctrina errent: Sufficit nobis, quod figura Reformatorum rem Evangelicæ cœlestem penitus tollit, Sacramentum evacuat, & fundamentum fidei labefactat.

§. I. **L**argitur hoc D. PFAFFVS, quod error ecclesiæ Romanæ ob Transubstantiationem, & Calicis subtractionem, verbis institutionis evidentissime contradicat. Largitur & hoc, quod ob id ipsum capitaliter erret, & *sequelas periculosissimas pariat.* (a) Atqui Reformatorum non minus evidenter, quam Papistarum, error verbis institutionis contradicit. Christus enim adesse, & *realiter* adesse ait suum Corpus, dicendo: *accipite, hoc est Corpus meum.* Quod enim non adest, accipi non potest. Juber idem, porrigendo panem & vinum, una Corpus, & S. suum *manducare & bibere*, & quia *ore Corporis* manducamus ac bibimus, res ipsa id loquitur, quod *eodem ore* C. quoque & S. J. C. manducare & bibere debeamus. Denique, quia OMNES, ne Juda quidem excepto, utut hunc interfuisse S. Cœnæ (b) neget PFAFFVS, juber manducare & bibere, & illud consequitur, etiam indignos C. & S. C. ore corporis manducare & bibere. Adhæc Paulus panem, cui benedicimus, *κωμωσιν*, seu *medium*, communicandi Corpus Christi esse, hospites autem indignos non solum symboli vel panis, sed *cum symbolo* ipsius etiam corporis reos fieri, plane perspicueque affir-

(a) Vid. Disp. th. IX. p. 20. (b) In Institut. p. 757.



affirmat. Nihilominus his omnibus contradicunt, & pertinaciter contradicunt, Reformati. Quod qui faciunt, hos anathema in se provocare, WERENFELSIUS fatetur. (c)

§. II. Tum vero, *quæ ex Reformatorum figura, eademque nuda, sequuntur*, perinde ut ea, quæ ex Papistarum Transubstantiatione fluunt, valde perniciofa sunt. Sequitur enim 1) licere nobis a verbis Testamenti, etiam divini, recedere, & 2) in sedibus omnium mysteriorum ad figuras, & mysticas interpretationes, delabi, quo pacto de tota scripturarum certitudine actum est. Sequitur, 3) Christum hominem, cælo inclusum, nec omnibus diebus nobiscum esse, adeoque Ecclesiam in terris esse *ἀκέφαλον*. Sequitur, 4) Christum hominem, vi unionis personalis, non esse omnipresentem, nec sedere ad dexteram Patris, nec testari in terris: *λόγον* autem 5) in cælis & in terris; Carnem non, nisi in cælis, esse, quod sapit Nestorianam *διείρησιν*. Sequitur, 6) nos nullam in terris Eucharistiam habere, quia hæc constare debet duabus rebus, terrena & cælesti. Deficere 7) Sacramentum confirmationis in Novo Testamento, quo tamen gavisi sunt Judæi sub veteri. Denique, 8) si nos in S. C. purum putum panem ac vinum habemus, sequetur, nos etiam in Baptismo puram putam aquam habere. Quæ sola cum lavacrum regenerationis constituere, vel nos a peccatis purgare, nequeat, sequetur etiam, Sacramentum initiationis, & medium fidei concipiendæ deesse, nullumque adeo verum Sacramentum in Novo nobis testamento restare, cum tamen Iesus, Dei filius, etiam nunc per *aquam & Sanguinem* venire dicatur. *1. Job. V, 6.* Sic igitur, quæ nocendi periculum, nihilo mitior est Reformatorum, quam Papistarum, error, imo quodammodo infestior est, ac pejor. Per Transub-



stantiationem enim altera solum, eaque ignobiliore, per Reformatorum autem figuram, utraque, ac nobiliore sui parte, mutilatur Cœna.

§. III. Dicit equidem D. PFAFFIVS, Reformatorum vel socius, vel Patronus, *litē inter nos & Reformatos de præsentiā reali Eucharistica, multis dubiis, multis tenebris, multis difficultatibus esse involutam: nec perinde constare de gravitate erroris Reformatorum, ut constet de certitudine & gravitate erroris Papistici.* At hic memorem esse PFAFFIVM oportebat. Modo enim scripserat: *Utramque dissentientium partem in summa rei consentire, idque neminem non affirmaturum, qui saltem terminos intelligat, & rem penetret. Querere sese: quid litis super sit?* Unde vero nunc repente tam multa dubia, tam multæ difficultates, & tenebræ; circa litē inter nos & Reformatos de præsentiā reali Corporis & Sangvinis Christi in Sacra Cœna? Nimirum quia Reformati a proprietate verborum abeunt, & ad, nescio quas, glossas, figuras, & schemata dilabuntur, & quibus possunt, viribus, ultimam Servatoris voluntatem impugnant. Quod ergo, per calumniam, CALVINVS olim de nostra, illud summo jure, de *Calvinianorum sententia*, liceat judicare, scilicet: EXITIALIBVS PRÆSTIGIIS FIDEI PRINCIPIA EVERTIT. (d)

*Thef. XIV.*

ENIMVERO, dum Symbola panis & vini nuda, & inania, signa esse existimant, fontem quoque solatii, e S. Cœna manantem, obstruunt.

§. I.

(d) Calvinus Epist. 292. p. m. 477.



S. I. **D**enuo non possum satis mirari vel incitiam, vel impudentiam, D. PFAFFII, qui (a) scribere sustinet: *quod Reformati panem & vinum nuda signa esse, non existiment, sed exhibitiva illa esse ajant & collativa.* Enim vero, si nuda esse signa non putant, quid igitur Sacramentaliter, (sunt enim signa Sacramentalia,) & mystice continent? Num res ipsas, C. & S. JESU CHRISTI? Hoc quidem plane, perspicueque affirmat Dominus, panem calicemque exhibens, & dicens: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus.* Sed negant Reformati omnes, forti, ut CROCIVS loquitur, *consensu.* STRIMESIVS repetit BEZÆ dictum, aitque, tanto intervallo Corpus Christi abesse a Cœna, quanto distet cœlum a terra. WENDELINVS scribit: *Sacramenta non sunt vasa gratiæ, vel rerum signatarum vehicula, sed SIGNA ET SIGILLA TANTVM.* (b) BRAVNIVS, Sacramenta data esse dicit, ut sint *figilla rerum, non presentium, sed absentium.* (c) GAVTERIVS dicit, esse signa, *quæ NON CONTINEANT RES IPSAS.* Quid igitur signa continent, si non continent res ipsas? Placet hic D. PFAFFIO audire WERENFELSIUM, sed veritati & conscientiæ procul dubio melius confuleret, si Christum & Apostolos audiret. Repeto tamen Calviniani verba: *Sunt signa, quæ quidem rem significant, sed quorum traditio non significat traditionem rei, v. g. si quis mihi tradit delineationem urbis alicujus --- sunt deinde signa, quorum traditione significatur traditio ipsius rei signate; ut cum Principi, urbem obsidenti, claves ejus a proceribus traduntur --- Adidit idem: Verba Christi eam habent significationem, quam haberent verba procerum civitatis alicujus, qui Regem, urbem obsidentem, sese dedentes, atque hunc in finem claves urbis porrigentes, ita alloquerentur: Accipe, Rex, hoc est dominium in ci-*  
vita-

(a) Th. X. p. 20. (b) L. I. Th. Christ. ib. 23. p. 946. (c) l. 6.



*vitatem nostram, quod Tibi a civibus traditur &c.* Subjicit D. PFAFFIVS: *Itaque ergo signis Eucharisticis, juxta Reformatos, traditur ipsum corpus, ipse Sanguis Christi: Spiritualliter manducandum illud: Spiritualliter bibendus hic, &c.*

§. II. Rectius autem inspici, et accuratius attendi, WERENFELSII verba debuerant. Nec enim dicit, signa Eucharistica esse talia signa, quorum traditione rei signata *traditio fiat*, sed solum talia, quorum traditione *significetur* traditio, per aliud prorsus organon instituenda. Numne vero idem est, *tradere*, & *traditionem significare*. Numne signa, quæ exhibitionem significant, reapse signatum exhibent? Oculis esse captum oportet cum D. PFAFFIO, qui non videt, hæc duo immane quantum differre. Et tamen Dominus, ne verbulo quidem, *significationis* meminit, sed veram realemque C. & S. sui traditionem insinuat, dicendo: *Accipite, hoc est corpus meum!* Nam quod denuo jaëtat: *Reformatos haud negare, C. & S. C. spiritualliter quidem, veruntamen ore corporis*, accipi, hoc quidem nulla veritatis specie ex eorundem scriptis poterit exsculpi, quum omnes magno consensu statuunt, C. & S. C. non ore corporis, utut mediante pane, sed procul organo corporis, *mere spiritualliter*, adeoque per fidem, accipi. Quo pacto, quantum in ipsis est, Christum e Coena ejiciunt, eademque usuris bona per Christum legata eripiunt, succumque solatii intervertunt. Hic enim non fluit ex elementis, pane ac vino, sed re cœlesti, Corpore nimirum & Sanguine J. C. quorum illud *pro nobis* traditum: Hic *pro nobis* effusus est, IN REMISSIONEM PECCATORVM, quam quidem fontem esse omnis solatii, nemo, nisi impius, negabit. Nisi ergo Corpus & Sanguis Christi cum elementis, & quoad substantiam, adsint, & nobis relinquuntur, præter vacua & inania signa, nihil restare potest



potest in Coena, adeoque *fons solarii*, saltem, quatenus ex hac promanat, obstruitur. (b)

*Thef. XV.*

**E**tſi vero illud, quod negant Reformati, indignos C. & S. C. in S. C. accipere, formaliter, & directe, fidem non destruit, veræ tamen, ac reali C. & S. C. præſentiæ, hujusque orali perceptioni, repugnat, adeoque virtualiter, & conſeſcutive, fidei adverſatur.

§. I. **D**uo hic ſtatuit D. PFAFFIVS, quæ probari non poſſunt. *Primo ſcribit, Reformatos id ſaltem velle, indignos C. & S. C. in S. C. ore fidei non accipere, quod ipſum & nos largiamur.* (a) Et id quidem libentiſſime largimur, indignos C. & S. C. ore fidei non accipere. Si enim hoc acciperent, non eſſent indigni. At Reformatos, indignorum manducationem & bibitionem acerrime impugnantes, *hoc ſaltem velle, quod ore fidei non accipiant*, falſiſſime, ac procul judicio, ſcriptum eſt. Audiamus hic THORVNIENSEM CONFESſIONEM: (b) *Nullam, inquit, ſtatuiſmus incluſionem, inexiſtentiam, coexiſtentiam, aut localem, vel corporalem, præſentiam, aut talem elementorum cum Chriſti corpore unionem, per quam illud NB. oraliter tam a dignis, quam ab indignis, tam ab impiis, quam a fidelibus, manducetur.* Vides hic, D. PFAFFI, Reformatos &

I

Cor-

(b) *Conf. Chemnit. in aureo libello de Cæna c. XI. p. 462. ſq. ex eoque Gerb. de S. Cæna. §. 108. p. m. 228. ſq. (a) Vid. Diſp. Tb. XI. p. 22. (b) §. VII.*





Corporalem Christi præsentiam, & veram, utut Sacramentalem, panis & vini cum C. & S. C. in S. C. conjunctionem, & oralem, etiam respectu indignorum, manducationem negare. Falsum igitur & communi Reformatorum opinioni adversum est, dicere, quod hi statuunt, Indignos *saltem fidei* non accipere C. & S. C. in S. Cœna, ore corporis autem accipere. Hoc enim si darent, facta jam essent, atque transacta omnia, quod sic & realem agnoscerent præsentiam, eandemque non a fide participantium, sed institutione, ac voluntate Servatoris, arcesserent, nec C. & S. C. per fidem solum, & mere spiritualiter, sed etiam ore corporis, ut ut supernaturaliter ac mystice, accipi opinarentur. Nunc ubi hæc omnia pertinacissime negant Reformati, facile apparet, quod, indignos nec ore corporis, nec ore fidei, C. & S. C. accipere, statuunt, imo ex hoc capite nullam realem ac veram C. & S. C. in S. C. præsentiam admittant.

§. II. Neque vero non *deinceps* hic error *magni momenti est*. Dimanat enim per totum Reformatorum coetum, indicatque, ac prodit, quod si nullam veram, & realem C. & S. C. in S. C. præsentiam admittant. Si enim hanc admitterent, Corpus quoque & Sanguinem ab omnibus promiscue sub pane & vino accipi, affirmarent, cum præsentia non ab hominem fide, sed Christi voluntate, ac majestate dependeat. At hoc ipso, quod indignos accipere negant, errorem suum produnt, præterque panem & vinum in S. C. nihil quoad substantiam adesse, credunt, Cœnamque vel evacuant, vel penitus abolent. Eucharistia quippe constare debet duabus rebus, terrena, & cœlesti. De quibus qui alteram, eamque nobiliorem, utut a Servatore verbis perspicuis legatam, adesse negant, & quantum in se est, rejiciunt, hi veram nec habent, nec habere possunt.



possunt Eucharistiam. Non igitur quid a fronte, sed quid a tergo, habeat isthæc opinio, est videndum. Revera enim rem cœlestem e Cœna tollit, ipsamque Cœnam destruit, fidemque Reformatorem evertit.

§. III. Negat hoc omne D. PFAFFIUS, & scribit: *Certe, qui fidem meam hoc destruere possit, si, qui digne Sacramentum accipio, credam, indignos Corpus, & sanguinem Domini in S. Cœna haud accipere, plane comprehendi nequit.* (c) Sed facile poterit comprehendi, si observetur, eum, qui non credit, *indignos etiam C. & S. J. C.* accipere in S. Cœna, nec illud credere posse, quod ipse, *dignus licet*, accipiat. Nec enim Corpus Domini in verbis institutionis dignis tantummodo legatur, vel certitudo accipiendi a dignitate accipientis suspenditur, sed omnibus promiscue legatur a Servatore, cum dicit: *Accipite comedite! Bibite ex hoc omnes!* Paulus autem *indignos* reos fieri C. & S. C. conceptis verbis docet, quod fieri non posset, nisi cum, & sub pane, qui est *novus* Corporis Domini, perinde *ut digni*, Corpus quoque Christi acciperent. Interest igitur fidei, ut constet, num purus putus panis, an cum, & sub pane ipsum quoque Christi Corpus in Domini Cœna exhibeatur. Solus enim panis, uti pro nobis non est traditus; ita nec dari nobis potest ad remissionem peccatorum, nisi in, & cum pane exhibeatur Corpus Christi. Quod si hoc adesse & exhiberi negetur, tunc nec fides confirmari potest per purum putum panem, nec peccatorum remissio accipi per Corpus, quippe quod abest, nec nobis, qua substantiam, exhibetur. Multum igitur non *veritatis* modo, sed *fidei* quoque, interest, ut indignorum quoque veram & realem manducationem & bibitionem a Reformatorem insidiis vindicemus. Est enim

(c) *Vid. Disp. Th. XI. p. 22.*



hoc dogma quoddam, ut loqui amamus, *provisionale*, per quod *majoris momenti veritati* prospicimus, &, ne per *latus doctrine de manducatione & bibitione* indignorum dignissimis etiam hospitibus legatum a Servatore corpus *eripiatur, cavemus*. Hoc enim, salvo fidei confirmandæ medio, fieri non posse, suo jam loco tradidimus.

*Thef. XVI.*

**A**d extremum crassus Reformatorum error in ipsam fidei, ac pietatis, praxin, magna cum pernicie, influit, quod ex i. Joh. V, 6. sq. probari potest.

§. I. **D** PFAFFIVS mirum esse argumentum dicit, ex i. Joh. V, 4. 5. petiit, & a non-nemine usurpatum. *Fides scilicet, quæ vincit mundum, credit, Jesum Christum ad nos venire per aquam, & sanguinem. Et notanter repetere Apostolum, non per aquam solum, sed per aquam, & sanguinem i. e. per Baptismum, & S. Coenam. Quisquis igitur non credat verum & naturalem sanguinem Christi esse in S. Coena, ejus fidem mundum non vincere.* (a)

§. II. Ita nempe miratur Reformatorum Patronus, quod vere Lutheranus Theologus, dogma illorum de S. Coena *perniciosum influxum in praxin Christianam inferre, argumento quodam evicit*. At invicem alii mirabuntur, CANCELLARIUM TVBINGENSEM videri velle *foecium Aug. Confessionis, & Formulæ C. & tamen patrociniari Calvinianis. Quid enim eo in argumento jure consideraverit? Tria nimirum. Primo: Nullibi dici, fidem illam*

(a) *Vid. ib. XII. p. 22.*



lam mundum non vincere, quæ non aiat, Christum venire ad nos per sanguinem in S. Cœna. Miror autem exceptiunculam Syncretistæ. Ut ut enim hoc, quod excipit, nullibi dicitur, hoc tamen, saltem virtute, dicitur, illam fidem mundum non vincere, quæ neget, Christum ad nos venire per sanguinem. Uti enim aliqua ignorari possunt impune, quæ non licet negare; ita &, si quis maxime, scilicet per ignorantiam, non aiat, Christum ad nos venire per aquam & sanguinem, vincere tamen fide sua mundum potest. At, si sciens, & volens neget, nego, ejus fidem vincere mundum posse. Si enim vinceret mundum, vinceret quoque carnem, & objectiones carnis, adversus verum, realeque, adventum Christi per Sanguinem in Cœna. At fides, quæ negat Christum ad nos venire per sanguinem in S. Cœna, Christo, in verbis institutionis id agenti, obloquitur, quasi que in faciem contradicit. Quando enim dicit Dominus: *accipite, hoc est Corpus meum!* tunc non assentitur, sed dicit: *Hoc non est Corpus meum, sed corporis mei signum.* Quod qui audet, næ is, ipsius WERENFELSII judicio, anathema sibi attrahit, fidemque a posteriori evertit. Nec enim simul stare possunt, credere DEO promittenti gratiam propter Christum, & tamen Christo, eandem offerenti per Sanguinem suum in S. C. contradicere velle: Credere Deo, quando gratiam offert *in Verbo*, & nolle credere, quando eandem exhibet *in Sacramento*: velle in promissione gratiæ *verbali* acquiescere, & *realem* illius oblationem *in Sacramento*, negare. Quisquis ergo negat, Sanguinem Christi adesse in S. Cœna, accipique, ac sumi, is DEO, divinisque promissionibus non credit, sed fidem ex verbo audibili conceptam per impugnationem verbi visibilis amittit, ac destruit. Accedit, quod juxta *Joannem*,

I 3

qui



qui non credit, Jesum esse Filium DEI, ejus fides non vincit mundum. At qui negat, Christum venire aqua & sanguine, is non credit Jesum, Mariæ Filium, esse filium DEI, quia nullus alius est Filius DEI, quam qui venit per aquam & sanguinem, quique serio credit, venientem per aquam & sanguinem vere esse filium DEI, is credit etiam, eundem sanguinem suum velle ac posse præsentem sistere in Cœna, imo frustra crederetur, Jesum esse Filium DEI, & venisse in carnem, nisi crederetur, eundem ad nos venire per aquam & sanguinem, quia per hæc, suo quæ adventu peperit, nobis applicantur. Ergo quisquis negat, Jesum venire per aquam, & sanguinem, negat in effectu, eundem esse DEI Filium, nec habet fidem, quæ mundum vineat. Hæc etiam fides nunquam non admittit testificationem Spiritus Sancti de Filio, cum substantialiter præsentem, tum efficaciter operante, 1. Joh. V, 7. 8. 9. At fides, quæ negat præsentiam Sanguinis J. C. in S. Cœna, non admittit testificationem Spiritus S. de Filio præsentem, propterea, quod testificatur per Sanguinem: Ergo non est fides quæ vincat mundum.

S. III. Excipit II.) *Quæ apodictice demonstrari possit, locum hunc de S. C. intelligendum esse, sese non videre.* (b) Atqui subtilissimi quique interpretes apud Reformatos hunc locum suis in Commentationibus de Domini Cœna intelligunt. CALVINVS ipse (c) hanc regulam tradit: *Frequentem esse S. Scripturæ usum, Synecdochice loqui de Sacramentis.* Nec adversatur Calvinianis *Carnis* nomine Jo. VI. in S. Cœna etiam Christum spiritualiter (d) manducandum intelligere, & *fractione panis* totum S. Cœnæ epulum. Quidni ergo etiam *sanguinis* nomine h. l. intelligere licebit totum id, quod in

(b) Tb. XII. p. 23. (c) in Comment. ad 1. Cor. XII, 13.

(d) Comp. Dorsch. in Disp. ad h. l. lit. G. 3.



in S. Cœna nobis exhibetur, (e) vel propterea, quod Christus de eadem dixit: *Hic Calix Novum Testamentum est in meo sanguine*: Et, *hic est sanguis Novi Testamenti*? Denique, per quod Filius DEI venit ad nos in regno gratiæ, illud hoc loco intelligitur per aquam & sanguinem: At enim venit ad nos per Baptismum & Cœnam. Ergo. Nec est, quod quis dicat: *Venire ad nos etiam per verbum: & sanguinem Christi esse non solum in Cœna, sed etiam in Baptismo*. Primo enim hoc loco non ita per spiritum, & in spiritu, venire dicitur, sicut venit per aquam & sanguinem, quia cum his *sacramentaliter*, & quoad *substantiam*, est præsens, quod ipsum de Verbo, aut spiritu, (e) dici nequit. Deinceps loquitur Joannes de *Sanguine*, per quem filius Dei aliquo modo venit *seorsim*, & quidem *eo habitu*, quo sanguis a persona Christi *in celo* testante *seorsim* testari potest, ac *eque mystice*, ut Baptismus, testatur, *ea* denique *ratione*, qua sanguis *distincto modo*, (alias enim Christus, cum omnibus suis beneficiis, & sanguinis meritis, etiam per spiritum & aquam exhibetur,) nobiscum communicatur. Hujusmodi vero sanguis, nisi in S. Cœna, non datur. Per hunc enim ut Christus *seorsim* veniat in regno gratiæ, elementum quoddam externum, seu velum divinisimæ præsentæ, adhibet, quod idem quoque ad verbum accedit, quo sanguis *distincte* a persona in cœlis testante, & *eadem ratione*, qua Baptismus, testari queat. Quæ omnia intuens DORSCHÉVS. (f) hunc locum *de Cœna Domini certissime exponi posse*, existimat.

§. IV. Dicit ad extremum III.) *Neminem Reformatorum diffiteri, quod sanguis Christi naturalis in S. C. spiritualiter bibatur, naturaliter vero eum ibi bibi, nostros quoque omnes insituari*. Quasi vero id unum ad istud nobis argumen-

(e) *Conf. Seb. Schmid. ad b. l.* (f) *in Disp. ad b. l. lit. G. 3.*



mentum extorquendum sufficiat. Enimvero in S. Cœna nec *mere spiritualiter*, quod Reformati ajunt, nec *mere naturaliter*, quod iidem nobiscum diffitentur, sed *oraliter*, utut *mystice*, manducare ac bibere debemus. Quod ipsum Lutherani affirmant, Reformati negant, & hoc ipso, virtute saltem, totam Eucharistiam tollunt. Christus enim per sanguinem in S. C. non quidem venit *mere spiritualiter*, non etiam *naturaliter*, venit tamen, quoad substantiam, *mystice*, ac *realiter*. Corpus ergo Christi *naturaliter* nunquam, *spiritualiter* semper, *mystice*, ac *oraliter* sapius, ad remissionem peccatorum, & confirmationem fidei, manducare debemus. Quisquis autem hoc negligit, rejicit remissionem peccatorum, suaque adeo fide mundum vincere non potest.

T A N T U M.

\* \* \*

PRAESIDIS

AD CL. DN. M. RESPONDENTEM

Προσφώνημα:

Ore *Patrem*, vultuque, refers, W E L L E R E,  
*Joannem*,Qui mihi, ceu *Jonathan*, charus ad usque fuit.  
Redde simul meritis, & si pote, redde, J A -

G O B V M !

Gloria sic nomen tollet ad astra tuum.

☼ (o) ☼











Th 1329

ULB Halle 3  
002 422 239  


VD18

56,

M. C.











B.I.G.

Farbkarte #13

27

QVOD DEVS BENE VERTAT!  
QVALIS ET QVANTVS SIT  
DISSENSVS  
IN ARTICVLO  
DE

S. COENA

INTER  
SOCIOS AVG. CONFESSIONIS

ET  
REFORMATOS  
IN ALMA WITTENBERGENSI  
CONSENTIENTE ORDINE THEOLOGICO  
PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO  
H. DOCT. ET PROF. PVBL. CONSIST. ECCL. ASSESSORE  
PASTORE ET SVPERINTENDENTE GENERALI

ADVERSVS  
Dn. D. Christ. Matth. Pfaff:

Professoris, Cancellarii, & Præpositi Tubingensis  
MACHINATIONES PSEVDO-IRENICAS

AD D. XXIII. DEC. clō 1ōcc XXI.

Dispiciet  
M. JOHANNES JACOBVS WELLERVS,  
DRESDENSIS.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

